PA 2489
.H46

1837

LIBRARY OF CONGRESS

00002564877


THE LIBRARY OF CONGRESS


THE LIBRARY OF CONGRESS

Copy

DE

LINGUA SABINA

SCRIPSIT

JACOBUS HENOP

DR. PHIL.

PRAEFATUS EST

DR. G. F. GROTE

LYCEI HANNOVERANI DI

c

DE

LINGUA SABINA

SCRIPSIT

JACOBUS HENOP
DR. PHIL.

PRÆFATUS EST

DR. G. F. GROTEFEND
LYCEI HANNOVERANI DIRECTOR.




ALTONÆ

TYPIS ET IMPENSIS *J. F. HAMMERICH.*

MDCCCXXXVII.

PA 2489
.H46
1837



Praefatio.

Si quis miretur, quod ego potissimum, cujus sententia olim in *Novo Archivo philologico et paedagogico* A. 1829. per Dr. Seebodium Hannoverae edito Nr. 31. de Sabinorum lingua in medium prolata ab auctore hujus dissertationis impugnatur, ab eodem rogatus hasce eruditionis ejus primitias brevi quadam praefatiuncula viris doctis tradere susceperim: sciat, memet ipsum, gnarum, quam parum satisfaciant ea, quae scripsi, diligentius in eandem rem inquirentibus, dubitantem adhuc auctorem, quid equidem sentirem de ipsius conatu, hortatum esse, ut perficeret id, quod meditaretur. Neque enim is sum, qui se vel solum vel in omnibus verum vidisse putet, aliisque contradicentibus obstinate refragetur; sed sicut ipse libere profiteor, quae sentiam, sic alios libenter video indagantes, quid probandum sit vel rejiciendum, praesertim illos, qui veritatis studiosi non tam quaerunt, quid reprehendendum sit, quam quid verisimile videatur. Ex iis igitur, quae dissertationis hujus auctor ante mecum communicaverat, satis persuasus, illum nonnisi veritatis amore dissentire, eo libentius eum excitavi, ut nihil aliud spectaret, nisi quod ipsi verum esse videretur, quo magis sperabam, fore, ut e duabus oppositis sibi sententiis ea, quae probabilior esset, facilius possit agnosci. Accedebat autem, quod ipse jam perspexeram ex Umbricae linguae studio, nimium progresso mihi in proferenda mea sententia redeundum esse ad certos quosdam limites, quos nec ultra nec citra rectum consistere posset: quod ut indicarem, in Hannoveranis Ephemeridibus numismaticis Nro. 29 hoc gentis Umbricae stemma edi jusseram:

Umbrorum natio propagata
per tria gentium genera, Italiam antiquissimam incolentia.

Sicani s. Sequani e Gallia, mixti cum *Liguribus* e Gallia ad Ligorim	*Umbri* s. Agrii ex Illyrico, mixti cum *Graecis* ex Epiro	*Tyrrheni Pelasgi* s. Torrhaebi e Lydia, mixti cum *Rasenis* e Raetia
Siculi	*Aborigines*, *Ausones*, *Aurunci*	*Tusci* s. *Etrusci*

Latini unde *Romani*	*Aequi* unde *Volsci*	*Osci* unde *Campani*	*Sabini* unde *Sabelli* s. *Samnites* cet.

Quae cum ita se haberent, minime polliceri potui, quod auctor innuit, demonstraturum me, linguam Sabinam nihil commune habuisse cum lingua Umbrica, Sabinos potius mixtos quidem cum Tuscis finitimis, quemadmodum Latinos ex Aboriginibus atque Siculis natos scimus, sed Umbricae originis per Ausones sive Auruncos putavi: quae quidem sententia minime mutatur iis, quae auctor noster in contrariam partem monuisse sibi videtur. Quid enim, quum Sabinorum majores eosdem Umbros Graecosque putem, unde et Latini et Osci profecti sunt, linguam eorum cum Graeca, Umbrica, Osca, etiam Latina, etsi propter immixtos Siculos multo magis diversa ceteris, cognatam fuisse negem? dummodo concedatur quaedam diversitas a Tuscorum commercio profecta. Multa sane Sabinis cum Tuscis communia fuerunt, ad quae si minus animum advertit auctor, secus fecit, quam totam rem tractatam velim. Quinque capitum postremum equidem primum fecerim, ut, praemissis paucis de fontibus, ex quibus omnis Sabinae linguae notitia haurienda sit, non verba solum, quae ad nos venerunt, recenserentur, sed ipsi loci, in quibus leguntur, colligerentur, addito judicio, quam fidem mereatur id, quod scriptum sit. Quod nisi fiat, multa tribuuntur Sabinis, quae neganda sunt, neque de singulis tam luculente scribi potest, ut, quid proprium fuerit Sabinis, quidve commune cum aliis Italiae populis, plane perspiciatur. Hominum deinde Sabinorum nominibus historicis, inter quos quidem *Vespasios* e Suetonii Vespasiano C. I. eo magis desidero, quo magis inde refellitur auctoris opinio, *Loebasii* nomen in *Loebusium* esse mutandum, addenda erant omnia geographica nomina oppidorum, fluviorum, montium, et quae sunt id genus alia. Quod si fecisset auctor, non quidem *Eretum* oppidum *Hiretum* quoque vocatum statuisset, inter plures vero nominum formas Sabinis cum aliis Italiae populis communes etiam deminutiva invenisset nomina, ut *Trebulam*, *Forulos*, *Corniculum*, *Regillum*, *Casperiam* s. *Casperulam* ap. Sil. It. VIII, 417. *Crustumium* s. *Crustumerium* ap. Sil. It. VIII, 368. oppida cum agro *Rosulano*, monte *Fiscello*, *Himella* fluvio, ipsisque *Sabellis*: quales deminutivorum formas Romani quidem a Sabinis accepisse videntur, non autem Sabini ab Umbris, quippe apud quos ne *fameria* quidem *Pomperia*, sed *famersia Pum-*

persia pro *familia Pompilia* legitur. Quo facilius dijudicaretur, quid statuendum esset de Sabinorum ratione erga ceteros Italiae populos, in unoquoque capite non ea sola colligenda erant, unde cognatio quaedam conjici posset, sed ea quoque, ex quorum discrepantia Sabinae linguae proprietas intelligitur. Noster enim auctor, quum illa magis protulerit, quae Sabinis cum Graecis, Umbris, Oscis, Latinis communia fuerunt, quam illa, in quibus prorsus differunt, ante captae opinionis argui potest, quae illum impediit, quo minus perspiceret, quanta fuerit Sabinae linguae diversitas, sive ad Umbrorum Oscorumque, sive ad Tuscorum atque Latinorum linguas respexeris. Sed hoc hactenus, ne reprehendere videar, quod commendatione mea dignum putaverim: etsi enim auctor non in omnibus mihi satisfecit, plurima tamen invenit, quae laudem meam merentur, atque ubi plurima nitent, paucis, quae vix vitari possunt, offendi minime licet. Accipiantur igitur, quae auctor humanissimus non sine multa eruditione atque diligentia perscripsit, eadem humanitate, qua ipse aliorum sententias refellit, si quae acutiori ejus ingenio non arridebant.

Hannoverae a. d. XXXI Octob. MDCCCXXXVI.

G. F. Grotefend.

Nostris temporibus satis est intellectum certas esse leges et singularum linguarum compositarum, et rationis, quae inter eas intercedit, neque temere fortuitove quidquam in illis esse constitutum. Leges vero et externae et interiores sunt; illas dixerim, quae ex uniuscujusque populi indole et ingenio pendent, has, quae aut omnibus aut pluribus communes inveniuntur. Illas ex singularum linguarum ratione, has plurium comparatione indagamus. Quae comparatio, quantam utilitatem ad accuratiorem linguarum cognitionem afferat, facile perspicitur, si Grammaticam universalem, quippe quae interiores linguarum leges doceat, ea demum firmari tenemus. — Grammatica vero universalis, dummodo ad animi quandam imaginem est concepta et exemplis quam plurimis firmata, quum summum menti humanae, ultimas rerum causas scrutanti, gaudium affert, tum ei, qui singularum linguarum rationem pernoscere cupit est necessaria. Multa enim, quae obiter intuenti non dico mira, at insolita videantur, si inquiritur in aliarum linguarum indolem, ex certa quadam causa orta cognoscentur, neque pauca, quae forte composita opinetur aliquis, vulgari necessariaque lege constituta intelliget. Hinc singularum quoque linguarum ratio plurium comparatione illustratur. Ipsorum denique verborum origo melius perspicitur, si ad communem eorum fontem regredi licet, ita ut radice verbi explorata, qualis in antiquissima quaque lingua deprehenditur, quomodo singulatim sit mutatum, facile exploretur. Saepe enim verba in ore populorum ita deflectuntur, commutantur, circumciduntur, ut radicem eorum haud agnoscas, nisi pristina alicub vocis forma servata. Talis igitur est usus, qui ex linguarum comparatione in Grammaticam redundat, alium ex his studiis fructum percipimus, qui ad historiam spectat, haud minorem

Nam quum plurium linguarum comparatione singulae linguae magis minusve cognatae perspiciantur, conjecturam inde facere licet in populorum originem et cognationem. — Quod enim ad novissima tempora egerunt viri docti, ut veterum scriptorum sententias de origine populorum maxime diversas, contrarias saepe, inter se conjungerent et conciliarent, sententiam suam inde effingerent, ficta pro historia fida venditarent, id quam levi fundamento nitatur, neminem fugit. Omnia etenim populorum historiaeque initia fabulis continentur. At certior est inquirendi via, quae ex singularum linguarum indole, cum aliis comparata, instituitur. Hebraeorum origo ex Chaldaea repetenda quamquam fabulis jam indicatur, ex linguarum inter se comparatarum ratione ad certum evincitur. Idem de Aethiopibus valet, quos Arabum propaginem paucissimi tantum scriptores innuunt, linguarum ratio docet. Atque haec de populis Semiticis; populorum enim, quorum linguae Sanscritam redolent originem, multo major est numerus. Linguae enim Persarum, Graecorum, Italorum plurimorum, Germanorum, et plurimam partem Slavorum, imprimis Litvanorum, ex Sanscrita lingua, quasi communi fonte, ortae probantur. Incunabula inde horum populorum ante oculos sunt posita; quae quisque fata subierit, ut, quasi ex una stirpe frondes, late vagantes, suam quisque vitam, suos mores, diversos a reliquis conformarit, id, si historia fida nos deserit, ex singularum linguarum comparatione conjecturam facientes assequi licet. Quare, quam viam C. O. Mueller in veterum Italiae populorum initiis indagandis est sequutus, haud scio an unica sit, quam in hac quaestione tueantur viri docti. Niebuhr enim, qui fabulas et domesticas et peregrinas ab historia separavit, fontes, quibus utendum nobis est, accuratissime perlustravit, et nihil quidquam constituere sibi visus est, quod non certis veterum testimoniis, historia, et simili ratione, quam analogiam vocant, firmaretur, Niebuhr, inquam, et ipse, quantus conjecturis campus pateat, est expertus. Quae res Niebuhrio non imputanda, sed materiae, ex qua opus perfectum et ab omni parte absolutum effingeret, penuriae, fontium incertitudini, veterum in antiquissima historia tractanda incuriae. Quas causas totidem esse scopulos bene perspiciens C. O. Mueller ex Siculae, Oscae, Sabinae, Umbricae et Tuscae linguae comparatione, conjecturas facere non dubitavit in ori-

ginem populorum, ita ut primo Siculos, gentem Graecis cognatam, Italiam usque ad Etruriam incoluisse, Aborigines his mixtos Latium occupasse, Sabinos montosas primum regiones occupasse, deinde partim super Tiberim consedisse, partim colonos in inferiorem Italiae partem emisisse, Oscos et Umbros Sabinis cognatos, Tuscorum cum illis nullam affinitatem statueret. Prolixius haec exponit Mueller, in libro „die Etruscer,“ exemplo nobis ostendens, quantus sit, quem ex linguarum comparatione percipimus, usus. Quae comparatio quum per se intricata est, tum si linguarum ratio minus est explorata, est difficillima. Unde qui singulis Italiae antiquissimae linguis illustrandis operam navarunt, et Grammaticae melius constituendae, et historiae magis firmandae symbolum addidisse, nemini non videantur. Itali recentiores in colligendis monumentis priscis maximam operam posuerunt, in explicandis, quum ex incerto plerumque fundamento quaestionem ordirentur, nihil fere profecerunt. Quare statim progredior ad viros doctos, qui nuper inter Germanos ea, qua assolent, diligentia hanc philologiae partem illustrandam sibi sumserunt. Mitto enim priores, qui aut Italos exscripserunt, aut copiis haud sufficientibus instructi, obiter tantum rem difficiliorem tractarunt Cluverium, Meursium, Morhofium, alios. Quorum omnium studia unus exsuperat *C. O. Mueller* (die Etruscer. Breslau, 1828. de lingua Siculorum, Oscorum, Umbrorum, Sabinorum, Tuscorum). Eum sequuti sunt viri doctissimi *G. F. Grotefend* (die Sprachen Mittelitaliens, in N. Archiv f. Phil. u. Paedag. 1829. de lingua Tuscorum, p. 101—120. Sabinorum p. 121—124. Siculorum p. 125 sqq. — Rudimenta linguae Umbricae, part. I, II, III. Hannov. 1835, 36. Plura etiam in ephemeridibus Numismat. Hannover. 1835. Nr. 21, 28 sq.) — *C. R. Lepsius* (de tabulis Eugubinis, part. I. Berolin. 1833. Rhein. Mus. f. Phil. II, 2, p. 191—198). *Lassen* (Beiträge zur Erklärung der Eugubin. Tafeln. Rhein. Mus. f. Phil. I. 3, p. 360-392. II, 2. p. 141-167) — *Kaempf* (Umbricorum spec. I. Berolin. 1835. de lingua Umbrica p. 61 sqq.) Quos equidem auctores sequutus, sententiam meam de lingua Sabina et ratione, quae inter eam vicinasque linguas intercedere videatur, proferam. Quae quaestio est difficilior, quod paucissimae tantum linguae Sabinae reliquiae aetatem tulerunt, neque reliquarum linguarum, Umbricae, Tuscae et

Oscae, quibuscum comparatio aliqua est instituenda, ratio affatim est explorata. Ipsi quoque viri doctissimi, qui hanc linguam prolixius tractarunt, Mueller et Grotefend, in diversas partes discedunt, quum prior linguam Sabinam cognatam cum Umbrica et Osca, alter vero cum Tusca, atque diversam ab Umbrica, discrepantem a typo linguae Graecae uterque censeat. Quorum sententiam si non in omnibus amplectar, atque contradicendum videbitur, ea semper modestia utar, quam et humanitas utriusque, quam expertus novi, et insignis eorum doctrina flagitant. Omnino si qua in re a vero aberravero, quod facile in tanta rerum minutarum silva mihi evenerit, si quid melius dicendum erat, si quid prave erit neglectum, respiciat, quaeso, aequus virium juvenilium existimator ab altera parte rei difficultatem, ab altera aetatem, rebus gravioribus dijudicandis nondum assuetam. Disputandi viam res ipsa dabat. Linguae enim Sabinae cognitio angustissimis finibus est circumscripta et singularum tantum vocum notitia continetur. Quas si quis colligere, collectas cum aliis aliarum linguarum verbis comparare velit, haud scio, an nimis abruptum disputandi genus videatur. Aliam ideo viam ingrediar, orsus a singularum literarum apud Sabinos ratione, ut aliis simul, quoties occasio datur, comparatis linguis, aliquid statui queat de linguarum cognatione. Itaque

Capite I de singularum literarum apud Sabinos ratione disseram, paucis additis de nonnullis nominum propriorum, Sabinis usitatorum, terminationibus (§ 1 — 20).

Capite II de lingua Sabina atque Graeca cognata disputabo. (§ 20 — 25).

Capite III quem locum inter reliquas Italiae linguas tenuerit Sabina ex comparatione linguae Tuscae, Umbricae et Oscae efficere conabor. (§ 25 — 34.)

Capite IV de ratione, quae inter linguam Sabinam et Latinam intercedere mihi videatur, agam. (§ 34 — 40.)

Capite V praemissis paucis verbis de fontibus, ex quibus tota nostra linguae Sabinae cognitio est depromenda, Sabinorum, quae nobis sunt relicta, verba recensebo. (§ 40 — 43.)

Caput primum.

De singularum literarum apud Sabinos ratione.

---

§ 1. Totam quaestionem a singularum literarum apud Sabinos ratione incipiendam duco, quum in tantilla verborum Sabinorum, quae nobis sunt relicta, copia, ipsorum verborum cum aliis aliarum linguarum verbis comparatio nimium conjecturis campum aperiat, singularum vero literarum ratio si convenit cum aliis linguis maximum cognationis argumentum addat. Quae qualis in Sabinorum lingua fuerit, difficile est dijudicare ob exemplorum, quae regulam aliquam firment, paucitatem; multorum deinde verborum, quae Sabina laudantur, pristina forma facile est immutata a Romanis, ita ut nonnisi radix eorum a Sabinis sit repetenda; dubito denique, quin ipsi Sabini, quoniam rudiores in literis, fortasse a scribendi consuetudine abhorrentes, in medio siti populorum, linguis discrepantium, eandem semper pronuntiandi aut scribendi rationem servarint. Quam parcus enim scribendi usus apud Sabinos fuerit, jam hoc satis probat, quod ne unum quidem monumentum, quod indubitanter priscis Sabinis vindicemus, nobis est relictum. Hinc literarum ratio, qualis adhuc perspici potest, dubii aliquid habet, nisi plurium exemplorum fide vicinarumque linguarum analogia firmatur. Observationes jam, quae certius nobis de linguae Sabinae ratione judicium permittere videntur, secundum literarum ordinem, quoties occasio datur, proferam.

§ 2. *A. O. Litera vocalis o Sabinorum nonnunquam in a literam mutata est a Romanis.* Pauca exstant nomina propria, quae antiquiorem literae vocalis o usum ostendunt. Fabiorum nomen antiquum erat Foviorum [1]), Valeriorum Volusiorum [2]), fortasse etiam Naviorum Noviorum. In dialectis Graecis similem vocalium a et o metastoechum saepissime

---

[1]) Fest. s. v., Plut. Fab. Max. I. Fodios primo eos appellatos refert.

[2]) Grut. Thes. Inscript. I. p. 171, 564, saep. Ovid. Epist. Pont. III, 2, 105, alii.

deprehendi, notissimum, quum Dorienses vocalem a, Spartani et Thessali vocalem o, vel in syllabis correptis, contra vulgarem Atticorum consuetudinem affectarent. In linguis quoque Italicis saepius inter a et o (Tuscorum u) fluctuasse pronunciationem invenimus. In lingua Tusca: Pupluna et Puplana; Urtuna (Hortanum); Parsura (Pharsalus); Athrpa (Atropos); Tarchon (Tyrrhenus); balteus (bulla) etc. [3]). In lingua Umbrica: Prestate, Prestote; cumaltu, cumultu, comoltu; sopo postro, supa pustra; prehabia, prehubia etc. [4]). Lingua Latina nonnunquam in iis verbis, quae Graecum produnt etymon, o vocalem in a mutavit, ut βόσκω, pasco, atque contraria ratione δαμῶ, domo etc. [5]), nonnunquam etiam in verbis antiquis utramque literam mixtim usurpat, Marmar, Marmor etc. [6]). — Quae scribendi inconstantia satis probat, quam parcus scribendi usus apud veteres Italos fuerit. Scriptura enim pronunciandi inconcinnitatem ad unam regulam revocare solet.

§. 3. *E. J. EI. Sabini litera vocali e, cujus loco postea i usurpatur, utebantur.* Linguam Umbricam in usu literarum vocalium i, ii, ei, e sibi non constare, tabulae Eugubinae probant. Idem in lingua Latina, atque imprimis rustica, saepissime observatur [7]). Sabinorum nomen est Minerva, quod antique Menerva audiebat [8]). Liber antiquus Sabinorum deus, Leber appellabatur, quamquam antiquiorem etiam hujus nominis formam apud Sabinos invenimus (cf. § 5). Fidei nomen paulo aliter a Sabinis nuncupatum refert Varro [9]); fedes nimirum dicebatur. Eadem ratione Sabinis Imperator Embrator dicebatur; Eretum antiquum est nomen vici Sabini, qui postea Hiretum dicebatur. Diphthongo *ei* itidem Sabini pro vocali *i* sunt usi. Quae diphthongus apud priscos quoque Romanos

---

[3]) Grotef. in Archiv f. Pädagog. 1829. p. 103. Mueller, Etrusc. II, p. 331.

[4]) Grotef. Umbr. II, p. 15.

[5]) Schneider, latein. Grammat. I, 1, p. 10. Klausen, de carmine fratr. Arval. p. 29.

[6]) In carmine fratr. Arval. ap. Klausen, p. 23 et 30. cf. Interpr. ad Gell. N. A. II, 10.

[7]) Schneid. lat. Gramm. I, 1, p. 15.

[8]) Quinct. I, 4, 17.

[9]) Varro de L. L. V, §. 74.

usitatior erat litera vocali i [10]). In inscriptione Marsica: meili..., pro militari [11]); idus, quam vocem a Sabinis Romani sunt nacti, antiquitus eidus scribebantur [12]).

§ 4. *AI. Sabini prisci diphthongo ai utebantur, quae postea in ae transiit.* Tabulae Eugubinae diphthongos ai et ae sine discrimine habent [13]). Romani septimo demum U. C. saeculo plerumque ae et a pro ai usurparunt [14]). Tusci contra usum diphthongi ai omnino adspernantur, diphthongo ae rarissime sunt usi [15]). Sabinis nomen Aemiliorum vindicandum, quod antique scribitur Aimilius [16]). Quod nomen Amulii nomini aeque respondet, atque Caeciliorum nomen Caculo. Hinc illa diphthongus orta videtur ex litera vocali a magis producta. Eadem ratione Naeviorum nomen ex simpliciori forma Navius ortum [17]). Quae exempla satis probant, nonnunquam in decursu temporum linguarum typum ad priscam formam accedere, recentiorumque levitate antiquitatem instaurari. Tuscis simplicior forma propter defectum diphthongorum usitatior fuit, ut Cale i. e. Caelius [18]).

§ 5. *OE. U. I. E. Sabini diphthongo oe sive oi sunt usi, pro posteriori scribendi et pronunciandi ratione u et i,* Quod locus probat Servii [19]): „Quamvis Sabini Cererem Panem (f. Palem) appellant, Liberum Loebasium (f. Loebusium cf. § 16).“ Servius, puto, locum ex Festo depromsit, in cujus epitoma haec leguntur: loebesum et loebertatem antiqui dicebant liberum et libertatem. Reliqua de Sabinorum usu loquendi excidisse videntur. Cognata est diphthongus cum literis vocalibus u et i, cujus loco veteres saepissime ei et e usurparunt [20]). Hinc varias verbi liber formas nanciscimur: loeber,

---

[10]) Schneid. I, 1, p. 62.
[11]) ap. Grotef. Umbr. I, p. 22.
[12]) Schneid. l. l. p. 67.
[13]) Lepsius de tab. Eugub. I, p. 91.
[14]) Schneid. l. l. p. 52 sqq.
[15]) Mueller Etrusc. I, p. 59.
[16]) Gruter. I, p. 129, alii.
[17]) Schneid. l. l. p. 11. Ἀσκλήπιος, Aesculapus, as, aes etc.
[18]) Mueller Etrusc. I, p. 432.
[19]) ad Virg. Georg. I, 7.
[20]) Schneider l. l. p. 81 sqq.

lub(ens), liber, leiber, leber. Aliud diphthongi oe a Sabinis adamatae exemplum deprehendimus in inscriptione Amiternina [21]): Poimunies, quod nomen in tabulis Eugubinis, Tusce scriptis, Puemune effertur [22]). Eadem de causa inter ciprum et cuprum pronunciandi ratio fluctuasse videtur, quod facile probatur ex nomine deae Cuprae, quin fortasse vocabulum cupere a cupro sive cipro (i. e. bono) ducendum; significat enim cupere sibi aliisque bene velle. (Similiter compositum est εὐ, εὐχή, εὔχομαι.) Eadem ratione dirus, quam vocem Sabinis et Umbris tribuit Servius, verbo durus respondet, aliquo tamen manente discrimine, ut saepe in verbis diversa pronunciandi ratione ortis [23]), atque saepius etiam in verbis, ex variis dialectis assumtis [24]), ita ut dirus plerumque de ipso animo et rebus, quae animum terrent, alterum vero de omnibus rebus usurpetur. Quae scribendi varietas orta videtur, quod diphthongus oe primitus illarum vocalium locum tenebat [25]). In aliis contra verbis pro Romanorum diphthongo oe Sabini vocalem e affectarunt. Romanis coena, Sabinis scesna, illis hoedus, his fedus pronunciatum. Quod satis probat, quam parum antiqua pronunciandi ratio sibi constiterit.

§ 6. *F. PH.* In adspiratarum, tenuium, mediarumque literarum usu linguae priscae Italiae admodum discrepant. Lingua Tusca literas adspiratas ph, ch, th maxime affectat, mediarum vero usum omnino spernit. Umbrica lingua quamquam literam adspiratam ph sive f non detrectat, adspirata th admodum raro utitur [26]). Medias et tenues literas lingua Umbrica tenet. *Lingua Sabina adspirata ph sive f saepissime utitur.* Adspirata ph invenitur in nomine vici Sabini Phalacer, aliis Falacer appellati. Litera f saepissime a Sabinis usurpata, ut Feronia, Fides, Fabii, Falerii [27]) aliaque; porro f adspiratae simplicis h locum tenet. At ne quis ad-

---

[21]) ap. Grotef. Umbr. I, p. 22.
[22]) II, 26; 35; I, 3; 5; 10; saep. ex edit. Grotef.
[23]) Moenia, muri; stolidus, stultus etc.
[24]) Limpidus, linquidus etc.
[25]) Coira, cura, ceremonia; foedus, fides, fetialis etc.
[26]) Mueller Etrusc. I, p. 49. Kaempf. Umbr. I, p. 74.
[27]) De qua formu vide Schneid. I, 1, p. 267.

spiratae literae ph usum in prisca Sabinorum lingua frequentiorem suspicetur, ob nomen Sabinorum, quale in numis Samniticis invenitur: SAPHINIM [28]) Adspiratam enim ortam esse, quod litera media b a Tusca literatura erat aliena, aliae inscriptiones Tuscae probant, quae Sabinorum nomen per p literam efferunt [29]). Aliae quoque verbi Sabinus formae aeque ab adspirata litera ph abhorrent, Sabelli, Savnites, Samnites [30]).

§ 7. *B. P. D. T. Videntur Sabini, quemadmodum prisci Romani* [31]), *in usu literae mediae et tenuis b et p sibi non constitisse* [32]). Sabinis alpus vindicatur, Romanorum est albus; contra embrator Sabinorum Romanorum respondet imperator. Meursius [33]) simpuvii, quod Numae vindicat Juvenalis, vocem a Sabinis translatam putat, proprie simbuvium dictam; at quum ipsa vocis radix obscura, tum dubium, an Sabinis jure sit vindicanda. Eandem inconstantiam in usu literarum d et t deprehendimus. Varro enim [34]), Tuscorum Itus, Sabinorum Idus fuisse, refert. Metti contra nomen apud Sabinos usitatum fuit [35]). — Quae vox Tuscorum est Merriss, Oscorum Medix et Meddis, Umbrorum Meddix [36]). Sabinorum vox est Mettus, ex qua per terminationem, flexionis causa additam, Metelli nomen est ortum. In qua voce tenuem pro media positam deprehendimus. Linguam vero Sabinam minime adspernatam literarum mediarum usum, verba plurima ostendunt: cumba, embrator, februum, Loebusius; Diana, dirus, fedus, fides, idus, Larunda, Novensides, Vedius etc. In Claudiorum nomine, quod ducitur a Clausi vocabulo, litera media a Romanis demum inserta videtur [37]). *Tenuis litera p, nonnunquam etiam media b, in verbis, quae a Graecis ducuntur,*

---

28) Tuscis nimirum literis ap. Lanzi III, p. 602. Muell. Etr. II, p. 314, Lepsium I, p. 35.

29) Lanzi II, p. 409. Sapini; p. 412, Sapiniae.

30) Niebuhr. R. G. I, p. 79, 101.

31) Klausen, Carm. fr. Arval. p. 29.

32) Eadem est sententia Grotefendi, im Archiv f. Phil. l. l. p. 122.

33) In exercitation. critic. (Lugduni B. 1699) I, p. 160.

34) de L. L. VI, 28.

35) Auct. incert. de nomin. rat. I. Schneid. lat. Gr. I, 1, p. 446.

36) Mueller. Etr. I, p. 31.

37) Schneid. I, 1, p. 259.

adspiratae φ loco a Sabinis est usurpata. Alpi vox ducitur a Graeco ἀλφός [38]); eadem ratione crepusculum ducitur a Graeco κνέφας, syllaba deminutiva, quam vocant, addita. Verbum cumbae, quod Festus Sabinis vindicat, ducendum est a κύπτω, ΚΥΦ....(κέκυφα), ΚΥΒ....(ἔκυβον). In ipso Graeco vocabulo litera β radicalis praevalet, quae translata est in linguam Sabinam.

§ 8. *V. Litera v Sabini saepissime utebantur* I) *pro spiritu aspero Graecorum*, quod probat vespernae vox, ducenda a Graeco ἕσπερος et Vestae nomen, aperte Graecorum Ἑστία. II) *pro litera f Tuscorum.* Menerfa Tuscorum est Minerva Sabinorum. Idem Romanorum fuit consuetudo [39]). In tabulis Eugubinis, quae Latinis literis sunt conscriptae, v plerumque Tuscorum literae f respondet, vel eorum verborum, in quibus Latini f literam usurpant, ut vas, Lat. fas; vocu, Lat. foco [40]). III) *pro Romanorum litera b.* Fovii a Romanis Fabii dicebantur [41]).

§ 9. *C. QV. G.* Annius Viterbiensis [42]) ex Catone, ut ait, haec refert: Quirinalis a Junone, Sabinorum dea, quam illi Curitim i. e. hastatam Junonem vocant. Etenim hastam curim et curinam proferunt, quia his simul et Etruscis non est litera q, sicut Romanis etc. Quem locum, ut plurima Nannii, falsarii impudentissimi, suppositum constat. Quamquam Tuscis jure litera q abrogatur [43]); Umbris litera k sine adspiratione pro q ususpata est. Osci literam q ignorant. Num Sabinis litera q sit vindicanda, equidem discernere non ausim, quum *plurima verba, quae Sabina laudantur, duplicem formam exhibeant, per q et c.* Sunt enim haec: tesca, tesqua; hircus, hirquus [44]); picus, piquus; curis, quiris; Curtius, Quiritius; Curitis, Quiritis; Sancus, Sanquus. Contra Ancus, Cures, Cutilia semper per c scribuntur, quamquam Schneider propter

---

[38]) Lindemann in Corp. Grammat. II, p. 320, vocem a Graeco ἀργός ducit, contra Schneider. l. l. p. 199.

[39]) Mueller Etrusc. II, p. 300.

[40]) Lassen l. l. I, 3, p. 383.

[41]) Schneid. I, 2, p. 226.

[42]) ap. Popm. fragm. Caton. p. 148.

[43]) Muell. Etrusc. I, p. 306.

[44]) Quam scribendi rationem Schneid. I, 1, p. 335 antiquiorem censet.

derivatum Quiritium nomen literam qu antiquiorem censet. Literam g Romani quinto demum U. C. saeculo adoptarunt, quare altera nominis Sanci scribendi ratio Sangus Sabinis est abroganda.

§ 10. *H. F.* Litera h in paucis quidem verbis Sabinis initialis deprehenditur: Herdonius, Hersilia, Herie, herna, quam tamen literam haud scio, an ipsi Sabini sive scribendo, sive pronunciando omiserint. Hoc enim probare videtur inscriptio Marsica, saepius laudata, in qua Erinie et Erine legitur, nomen Herennii et Herenniae. Scribitur etiam Hiretum [45]), qui locus, similiter litera h omissa, Eretum quoque dicitur. *Usitatissima porro erat Sabinis, pro litera h initiali et media Romanorum, litera f* [46]). Quae diserte verba Sabina laudantur, haec sunt: fasena (Velius l. l.), fircus (Varro l. l.), unde nomen Fircellii Reatini, saepius commemorati a Varrone in libris de R. R. et montis Fiscelli in Sabinis, fedus (Varro), trafere (Apulej.), vefere (Apulej.). Postrema verba minime in dubium vocaverim, quum unica sint verba, quorum radix per literam h finitur. In aliis verbis litera h, sive spiritus asper Graecorum, prior fuisse, postea vero f litera assumta dicitur. Cujus rei apud Sabinos nulla exstant exempla. — Plura de literis f et h affinibus disputant Schneider (I, 1, p. 195), Struve (lat. Declin. u. Conjug. p. 318), Mueller (Etr. I, p. 43 sqq.), Grotefend (l. l. p. 123 sq.).

§ 11. *C. T. P.* *Litera t et c Sabinorum literae p Oscorum nonnunquam respondet,* quod scriptor epitomae de nominum ratione, quae vulgo Valerio Maximo tribuitur, innuit, Appii nomen ab Atto Sabinorum regionis praenomine ortum referens, quocum convenit Livius (II, 16): Attus Clausus, cui postea Ap. Claudio fuit Romae nomen. Atti enim nomen respondet Oscorum nomini Appus, Albanorum Appius, Romanorum, qui ex variis populis gentes earumque nomina acceperunt Appius, Attus (unde gens Attia, Attilia etc.), Accus (unde gens Accia, Accilia, Aquilia). Oscorum litera p saepissime

---

[45]) Lanzi II, p. 618.

[46]) Varro de L. L. V. § 97, ap. Vel. de Orthogr. p. 2230, 2238, et Apulej. de nota adsp. p. 94, 104. de diphthong. p. 125.

2

Romanorum literae c et q, Graecorum τ respondet [47]). Itaque in hac re Sabina lingua consentit fere cum Latina, nisi quod t litera aliquanto est durior, quam litera c [48]). Hinc aliis in verbis litera c Sabinorum Oscorum literae p respondet. Anci nomini, eique Sabino, Oscorum respondet Ampus [49]). Firci (hirci) vocabulum hoedum significat; altera vox est hirpus, quae lupum significare dicitur. At hirpi vox Osca verbi hircus forma videtur. Nam quod Festus et Strabo vocabulum Samnitibus, Servius contra Sabinis tribuit, illis major fides est habenda, quoniam Servius facile, quum Samniticam illam vocem memoria teneret, exemplum sequutus Varronis [50]), ideo Sabinis quoque eam vindicandam, suspicari poterat. Samnites vero tantum abest, ut linguam Sabinam sinceram servarint, ut lingua eorum Osca vocetur [51]). Hinc hirpi vocem Oscam putaverim, qua lupum haud significatum, quoniam ipsa vox apud scriptores non invenitur, vocabulum hispidus, ab hirpo nimirum ducendum, satis probat. Hispidus idem significat, quod hirsutus, quam significationem ab hircina barba et pelle ductam, nemo facile in dubium vocabit. Hinc hirpi vocem Oscam formam verbi hircus putaverim [52]).

§ 12. *S praefixum et insertum.* In nonnullis verbis Romanorum, iis praecipue, quae Graecum produnt etymon, s prostheticum deprehendimus [53]). Idem in pluribus Graecae linguae verbis animadverti notissimum. *Sabinis quoque litera s verbi radici praefixa inusitata haud erat.* Festus et Paulus Diaconus coenas a Sabinis scesnas dictas referunt [54]). Litera s praefixa est; eadem ratione verbum strenae, quod Sabinum probant Elpidiamus, Symmachus alii, Festus ex trena, s litera praeposita, ortum dicit. Quod jure mihi Scheider (l. l. p. 493)

---

47) Muell. Etr. I, p. 30 sqq. II, p. 356.

48) Schneid. I, 1, p. 241.

49) Mueller l. l. I, p. 30.

50) ap. Gell. XI, 1.

51) Muell. Etr. I, p. 40.

52) Eandem sententiam amplecti videtur Schwenck, Zeitschr. f. Alterthumsw. 1836. p. 570.

53) Schneid. I, 1, p. 492 sqq.

54) Scesnas, neque scensas esse legendum, probat Fest. s. v. penna, cf. Schneid. l. l. p. 475.

in dubitationem vocare videtur, tueri studet Creuzer [55]. Sed quidquid statuimus de strenae voce, probat certe Festi locus non abhorrere a Sabinorum usu loquendi, literam s praefixam. Quid si securis vox a Sabinorum vocabulo curis, s praeposito, est repetenda. Meursius aliquanto audacior [56]: scoeno, inquit, sine adspiratione est scribendum. Nam Sabini dicebant scoenum pro coeno, ut scoelum pro coelo [illa vox in carmine Saliari legitur], et scaena pro caena. Idem eadem fere repetit l. c. p. 23. Omnino, quod praeteriens dico, saepius Sabinismum apud Plautum deprehendere sibi visus est Meursius [57]. Quo jure id egerit, causis haud idoneis exponit l. c. p. 199. Sed redeo ad propositum. *Nonnunquam etiam verba Sabina literam s in medio verbo a Romanis postea omissam aut mutatam retinent.* Ita scesnas Sabini dicebant. Quod idem non raro apud veteres Romanos ante literas m et n, nonnunquam etiam ante t [58] usitatum erat, ita ut postea illud s aut assimularetur sequenti literae (pesna, penna), aut in r mutaretur (casmena, carmena), aut omnino omitteretus (dusmosum, dumosum) [59]. Umbrorum quoque linguam literam s in media verbi radice tenuisse, quae postea a Romanis elidebatur, exempla in tabulis Eugubinis obviam probant, ut arsmor, Lat. armorum etc. [60].

§ 13. *S. R. In multis verbis Sabini pro litera r, quae postea usitata erat, literam s usurparunt.* Idem priscis Romanis evenit, quinto demum U. C. saeculo Rhotacismo invalescente [61]. Sabina verba, quae Sabinis illud usu venisse ostendunt, sunt: fasena, ausum, Auselii, Lasa, Lases, Valesii. Deinde qui ab aliis vocantur campi rosei in agro Reatino, a Varrone campus rosulanus, nomen a rore, antiquiori hujus verbi forma servata, acceperunt [62]. Firci vocem, quin ipsi

[55]) Symbol. II, p. 914.

[56]) Exercitat. Critic. I, p. 199.

[57]) cf. l. l. p. 28, 105, 160, 165, 166 etc.

[58]) Restis, retis, rete; Idem in lingua Franco-gallica saepissime evenit.

[59]) Schneider I, 1, p. 474. Lindemann, Corp. Grammat. II, p. 362. Lepsius de tab. Eugub. I, p. 91.

[60]) Lassen, l. l. II, 2. p. 151.

[61]) Schneid. I, 1, p. 342 sqq.

[62]) Fest. s. v. rosea.

Sabini fiscum pronunciarint, non dubito ob nomen montis Fiscelli in terra Sabinorum. Varro[63]) enim circa Tetricum et Fiscellum montes multas capras fuisse refert. Quare facile ab hircis mons nomen trahere poterat. In terminationibus denique in usius (§ 18) literam s antiquiorem cognoscimus.

§ 14. Ex iis, quae adhuc sunt disputata, summam aliquam colligere liceat. Sabina lingua vocalibus usa est a (Lara), e (Menerva), i (Pirtilianus), o (Fovii), u (Cupeneus), diphthongis ai (Aimilius), ei (Eidus), oe (Loebusius), oi (Poimunie). Adspiratarum literarum ph sive f et v usus Sabinis tribuendus, adspiratae ch et th non inveniuntur. Num adspirata h apud eos usu venerit, dubium. In tenuium mediarumque literarum usu sibi constare non videtur (Idus, Mettus; alpus, cumba). Literis consonantibus omnibus, quot antiqua Romanorum lingua novit, usa videtur, quamvis de litera q dubitantius hoc affirmaverim et k litera ob defectum monumentorum non inveniatur. Hinc facile quantum lingua Tusca a Sabina discrepet, intelligitur. Tusca enim lingua vocali o non utitur, literis b, d, q omnino caret[64]).

§ 15. At omnino consentaneum est, Sabinos Tuscorum literatura fuisse usos. Qua de re doctissima est Lepsii[65]) disputatio, qui demonstrandum sibi sumsit, Tuscorum literaturam non Tuscorum solum fuisse, sed ante Graecas literas a Romanis magis adoptatas, per totam fere Italiam fuisse vulgatam. Neque tamen a Tuscis literas traditas, sed pro singularum linguarum indole a populo unoquoque excultas, censet. At obstare videtur huic sententiae lingua Umbrica, aliam formam exhibens in tabulis Latine scriptis, aliam in tabulis Tuscis. Ideo Lepsius Umbrorum linguam primitus ad typum linguae Tuscae accessisse magis putat, argumento usus mea quidem sententia debiliori, quod o litera inusitata fuerit Umbris, Plinii testimonio[66]). Quam facile vero Plinium fallere poterant monumenta Umbrica, literis Tuscis conscripta[67]), quin contra-

[63]) R. R. II, 1, p. 5.
[64]) Muell. Etr. I, p. 49. II, p. 296.
[65]) De tabulis Eugubin. I, p 22—37.
[66]) Ap. Prisc. I, p. 553.
[67]) Muell. Etr. I, p. 59.

rium refert glossa codicis Palat. III ad Plautum, Amphitr. prolog. 1, in edit. Parei: Lingua Umbrorum vertit u in o, lingua Etrusca contra a in u [68]). Quem locum ex antiquo aliquo scriptore desumtum, probat argumentum remotius ab ingenio monachico. Nihil ideo tribuerim Plinii testimonio, a Grammatico, qui non raro vas sincerum incrustat, laudato, ne quid dicam de Lepsii audacitate, qui non aliquot tantum Italiae populis, id quod Plinius refert, antiquiorem literae vocalis u usum tribuit, sed per totam fere Italiam valuisse censet. Quin ipsos Romanos etiamsi non sola litera vocali u usos ante literas a Graecis restauratas, rarius tamen vocalem u usurpasse, contendit. Dubito vero, quin satis certis argumentis sententiam suam firmarit. Quod enim dicit, propriam et usitatam secundae declinationis terminationem fuisse — us, — um; gen. plur. — um, usitatiorem eam fuisse concedo, quin antiquior fuerit valde dubito. Monumenta antiquiorem Nom. et Acc. S. terminationem — os et — om exhibent [69]), unde Struve vocalem o quasi propriam secundae declinationi tribuit. Genitivi vero Pl. terminationem — um, contractam esse ex oum idem vir doctissimus optime statuit, quod ex altera forma eaque usitatiori, terminatione orum facile efficitur. Nihil igitur est, cur vocalem u antiquiorem statuamus. Atque infirmius etiam est, quod vocalem o saepius pronunciatam, quam scriptam censet ex Velii Longi auctoritate. Quamquam enim gravior, quae Lepsii sententiam firmare videtur, auctoritas exstat Verrii Flacci [70]): Orcum, quem dicimus, ait Verrius Flaccus ab antiquis dictum uragum, *quod et u literae sonum per o efferebant* [71]); tamen si alterum ejusdem Grammatici locum respicimus [72]): Nam crebro in antiquis lectionibus invenitur, sicut in epistolis Verrii Flacci, exemplis, auctoritate, ratione dicens in adverbiis pro u o plerumque majores ponere consuetos, et sic pro huc, hoc veteres dicere solebant, sicut pro illuc, illoc dicimus; non dubito, quin litera vocalis o antiquitus saepissime fuerit scripta, pro-

---

68) Legendum est, ob sententiam oppositas, *o in u*.
69) Schneid. II, 1, p. 57. Struve, lat. Declin. u. Conjug. p. 40.
70) Ap. Fest. s. v. Orcum.
71) Klausen de carmin. fratr. Arval. p. 28 sq.
72) Lindemann, Corp. Gramm. II, p. 297.

nunciationem vero posterioribus temporibus inter o et u fluduasse libenter concedo. Itaque si literae Tuscae per totam Italiam fuerunt vulgatae, aut loquentium usui non suffecerunt (quod de Tab. Eugubinis Tusce scriptis suspicor), aut aliae aliunde arcessendae erant literae (quod Romanis evenisse puto) [73]). — Hinc mirum non est, si Sabini quoque literas pronunciarunt, quas scribendo satis repraesentare nequiverunt.

§ 16. Cum lingua Umbrica comparatis iis, quae adhuc sunt disputata, satis gravia utriusque linguae cognatae argumenta deprehendere mihi visus sum. Literarum enim ratio omnino congruit, nisi quod oe diphthongus in tabulis Eugubinis forte non invenitur, quod idem dixerim de litera ł, quae nusquam in tabulis Eugubinis, semel tantum in inscriptione Umbrica [74]) initialis deprehenditus. De ratione, quae inter literarum Sabinae Latinaeque linguae usum intercedit, quum singulis locis sit disputatum, nihil addam. Hoc certissimum puto, *omnes fere, quae nunc exstant, linguae Sabinae reliquias, linguae Latinae antiquissimae speciem exhibere.*

De nonnullis terminationibus nominum Sabinorum.

§ 17. Varios mediae Italiae populos variis nominum propriorum terminationibus usos, Tuscorum, Umbrorum, Albanorum nomina propria indicant. Tuscis terminatio *ena, enna, ina* tribuenda [75]), Umbrorum nomina a locis repetenda solenni terminatione per *as* et *ers* finiuntur; terminatio *eria,* proprie *ersia,* (in tab. Eugeb. famersia Pompersia) iisdem tribuenda. Albanorum nomina Romanorum respondere nominibus gentiliciis Niebuhr demonstrat [76]). Sabinis nominum proprias terminationes tribuenti attendendum erit, ne a Romanis demum inditae aut immutatae sint. Sabinae tamen nominum terminationes videntur *usius* et *o.*

§ 18. *Sabinis nominum propriorum terminatio usius admodum usitata.* Quae terminatio postea in usius abiit. Vale-

---

[73]) Eadem est sententia Grotefendi Umbr. partic. II, p. 14 sq.

[74]) Lerpirior; quam tamen a Ligorio suppositam, refert Lepsius p. 8. Not. 15.

[75]) Mueller. Etr. I, p. 426.

[76]) R. G. II, p. 119.

riorum nomen antiquum erat Volusiorum, Attusii nomen ex Atti nomine formatum, Bandusiae nomen eandem terminationem exhibet. Fortasse etiam apud Servium Loebasius pro Libero in Loebusii nomen mutandum, terminatione usius adjecta. Massurius, Veturius (quod nomen productum est ex Vettii nomine) Titurius, Camurius (altera forma verbi Camers), Mamurius (nomen Martis, verbo Mamers respondet). Fortasse Mercurii quoque nomen eadem terminatione est formatum. Mirum tantum, quod in nonnullis verbis illud u productum (Mamurius, Veturius), in aliis correptum (Volusius, Bandusia) deprehendimus. Quare terminationem illam nonnunquam ex radice magis productam, ut Mamurii nomen ex nomine Marmor [77]), in aliis terminationem radici adjectam, suspicor. Terminationem o [78]) nomina exhibent: Nero, Pompo, Volero et Cato, quod nomen, auctore Plutarcho, ducendum est a Sabinis, quibus catus acutum significabat.

§ 19. Verbi Sabinorum Nero varias formas exhibent veteres scriptores, quas colligere liceat ex A. Gellio (XIII, 22), Scholiasta Horatii (ad Epist. II, 2, 209) et Lydo (de Mensib. IV, 42).

Adjectivum est: Nĕro (Νέρων), fortis; Gen.: Neronis.

Substantivi Nominat. Nĕrio, virtus, fortitudo (in libr. veter. ap. Gell.); Nērio (in commentariis Claudii); Nĕrine (Schol. Horat.: obtenta virginitate Minerva Nĕrine est appellata; Lyd.: fortitudo).

Accusat. Licin. Imbrex. Nĕrĭ̄nem; Ennius: Nērĭ̆enem: Formula vetusta ap. Gell.: Nĕriēnem; Plautus (Trucul. II, 6, 34): Nĕrĭ̆enem.

Vocativ. Cn. Gellius, Annal. script.: Nĕria. Varro: Nerienes.

Ipse A. Gellius unicam pronunciandi rationem putat Nĕrĭēnem, nominandi carum judicans Nerio aut Neriēnes. Omnibus jam, quae mode sunt landata, locis comparatis, varias formas nanciscimur:

Nĕro, fortis, quae vox apud Romanos cognominis locum tenet, secundum vulgarem rationem flectitur.

---

[77]) Klausen, de carmin. fratr. Arval. p. 30.

[78]) De qua cf. Lanzi Sagg. II, p. 368.

Nĕria, nomen deae; quam vocem ab ipso Cn. Gellio esse confictam, nimia scriptoris levitas, aliis quoque in rebus perspicua [79]), satis probat.

Nĕrio, forma genuina generis femin. fuisse videtur. Neque tamen dubito, quin significatio, quam Gellius et Servius Claudius vocabulo impertiunt, fortitudinis, ob terminationem io, in abstractis usitatissimam, sit conficta, quum ipsum vocabulum apud Romanos scriptores haud inveniatur; eadem vero ratione vox flectitur, qua Anio; Gen. Nerienis, Accus. Nerienem [80]).

Nerienes, quam formam unus tuetur Varro, qui aut metrica aliaqua licentia usus, aut ex Accusativo Nerienem nominandi casum Nerienes finxisse videtur.

§ 20. At aliam nobis formam suppeditant Scholiastes Horatii et Lydus, Nerine, quam ex Sabina lingua translatam puto. *Videtur enim Nomin. I Declinationis femin. gener. Sabinis vocali e designatus.* Plinius [81]): In Reatino fons, inquit, Neminie appellatus. Quod fontis nomen, sive potius nymphae fontis, quamquam commutandum non est cum Nerienis nomine, mire tamen utriusque vocis ratio congruit. Eandem terminationem deprehendimus in inscriptione Marsica [82]), nomen Erinie, i. e. Herennia exhibenti. Nomen Herie Sabinis itidem tribuendum [83]). Nomina igitur Erinie, Herie, Neminie et Nerine ie et e feminini generis terminationem apud Sabinos fuisse ostendunt. — Genitivi flexio es, quum analogia firmatur, tum exemplo, in inscriptione Amiternina [84]) obviam, probatur. Legitur enim ibi Genitivus *Poimunies*. Dativi flexionem ostendit inscriptio Marsica, supra laudata, Vesune. Eandem terminationem tabula votiva Romae a Quartinio, cive Sabino, dedicata, exhibet:

---

[79]) Niebuhr, R. G. I, not. 630. Kruse, fragm. historic. p. 202.

[80]) Schneider II, 1, p. 148. Struve, lat. Decl. u. Coniug. p. 23 sq.

[81]) H. N. II, p. 103.

[82]) Ap. Grotef. Umbric. I, p. 22.

[83]) Ap. Gell. l. l. cf. Interpr. ad Fest. s. v. Herem. Eadem videtur, quae Hora, Hersilia, vid. Grotef. Archiv. f. Phil. p. 122.

[84]) Ap. Grotef. Umbr. l. l.

Ardoinne [85]). Accusativi terminationem *em* Gellius [86]) prodit, Heriem laudans. *Nominativus igitur I Declin. apud Sabinos vocali e, Genitiv. syllaba es, Dativus vocali e et Accusativus syllaba em terminatus videtur.* Qua in re a Tusca lingua maxime abhorret Sabina (cf. § 30); ad priscum vero linguae Umbricae et Latinae typum proxime accèdit. Observatum enim est, in lingua vulgari et rustica Latina terminationem Genitivi I Declinationis — es haud raro inveniri [87]). Exempla plurima apud Gruterum exstant, ut provincies, victories, Julies alia. Lingua vero vulgaris tantum abest, ut priscam linguae Latinae indolem temere mutarit, ut magis etiam sinceram plerumque eam servarit, quam lingua urbana [88]). Quare I Declinationem, quae vocatur, Latinorum ad eam, quam Sabinis vindicavi, rationem accessisse puto. In lingua Umbrica II et III Declinationis Genitivus terminationem er et es exhibet; primae Declinationis Genitivi flexio vulgaris est a, ar (erar, i. e. ejus, gener. fem.) et as. Sed eandem, quam in lingua Latina diversitatem deprehendimus. Genitivi enim I Declinationis terminatio er invenitur in verbis Sehmenier dequrier [89]), sive literis Tuscis Semenies tekuries [90]), i. e. decuriae Semoniae. Altera quoque forma Sehemeniar legitur in tabulis Eugubinis [91]). Dativus in utraque lingua sibi respondet, quum Umbris Dativus I Decl. vocalibus e et i designetur. Quae flexio a Nominativi terminatione antiquissima e ducenda est. *Unde apparet hac in re linguam Sabinam cum antiquissima Romanorum Umbrorumque lingua maxime consentire.*

---

[85]) i. e. Dianae; ap. Gruter. I, p. XL.

[86]) N. A. XIII, 22.

[87]) Struve, lat. Decl. u. Conj. p. 7. Schneid. lat. Gramm. II, 1. p. 22.

[88]) Cicer. de Orator. III, 12; Orat. 36.

[89]) Tab. Eug. III, b, 11, 16.

[90]) T. E. V, b, 1.

[91]) VII, a, 52.

Caput secundum.

De lingua Graeca et Sabina cognata.

---

§ 21. Linguarum cognatarum argumenta quum ex historia, tum ex ipsarum linguarum ratione sunt repetenda; quum illa, quo cognationis vinculo, quali commercio, sive belli, sive pacis, populi inter se fuerint conjuncti; qualem ista omnia in linguas vim exercuerint, haec doceat. Attamen historia aut obscura, aut omnino incerta populorum antiquissimorum, linguarum deinde ratio non semper cum historia congruere videtur, ut adhuc inexploratum sit, unde Graecae linguae elementa, quae in Romanorum lingua animadvertimus, originem duxerint. Tantum denique abest, ut populorum origo semper aliquam in linguas vim exercuerit, ut saepe causae externae, terrae situs, vicinorum populorum commercium, alius populus victor, aliaque, quae commemorare longum est, pristinam linguae speciem, domesticam dixerim, omnino mutarint. Id quod Samnitibus evenit, qui a Sabinis orti, Oscorum linguam in usum suum contulerunt, paucissimis tantum, si Varroni fides, linguae Sabinae vestigiis relictis. Quam ob rem omissa quaestione de origine Sabinorum, quam post Niebuhrii, Muelleri aliorumque curas nuper accuratissime exposuit Kaempf [1]), ipsas linguae Sabinae reliquias cum aliis linguis pro virili mea parte comparabo. Quae comparatio difficilior est, ne dicam incerta, quod ipsarum linguarum, quibuscum comparatio aliqua est instituenda, ratio non satis est perspecta, deinde quod linguae Sabinae paucissima tantum sunt relicta verba, quae antiquiorem linguae speciem ostendunt: dubium denique est, num omnia verba, quae ex Sabina lingua repetuntur, antiquitus a Sabinis fuerint usurpata, an ex commercio demum aliorum populorum illata, quod de plurimis verbis, quae Graecum produnt etymon Mueller et Grotefend sunt suspicati. Neque tamen ideo totam quaestionem rejiciendam puto; nisi enim conjecturis uti licet, nihil quidquam de antiquis Italiae populis, nihil de linguis eorum constitui poterit, ob argumentorum satis certorum penuriam.

---

[1]) Umbric. spec. I, p. 53 sqq.

§ 22. Nimiae vero audaciae ipsos veteres in verborum origine eruenda locum saepe dedisse, unus probat Varro, neque opus est, ad recentiores linguae Latinae et Graecae scriptores, Plutarchum, J. Hyginum, Servium, Lydum aliosque ablegare. Quorum studia, ex similium verborum comparatione instituta, in vanum plerumque abierunt, quod certo fundamento niti non solebant. Hinc priusquam ad ipsam quaestionem de ratione, quae inter linguam Graecam et Sabinam intercesserit, pergam, plura, quae nullo jure ab ipsis scriptoribus priscis ad linguam Graecam sunt relata, rejicienda puto. Atque princeps est Varro, cujus si semper in verba jurare vellemus, metuo ne levitatis certe notam haud effugeremus, quippe qui ipsum Sabinorum nomen ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι duceat, cum Verrio [2]) et aliis apud Plinium scriptoribus. Quibus ea accenseri possunt, quae de nonnullorum Sabinorum nominum propriorum etymologia sunt prolata. Neque enim defuerunt, qui Aemiliorum nomen ἀπὸ τῆς αἱμυλίας oriundum putarent [3]), qui Neronis nomen, quo Sabinorum lingua fortis significatur, a Graecorum νευρά ducerent [4]), quin Anci nomen nonnulli ἀπὸ τοῦ ἀγκῶνος duxerunt, quod aduncum brachium habuerit [5]). Quod Varro refert (de R. R. III, 1, 6): Lingua prisca et in Graecia Aeoles Boeotii sine afflatu vocant colles Tebas: et in Sabinis, quo e Graecia venerunt Pelasgi, etiam nunc ita dicunt, cujus vestigium in agro Sabino via Salaria, non longe a Reate milliarius clivus, appellatus Tebae; assentior Scaligero annotanti: neque si Sabini quosdam colles apud se tebas vocarunt, ideo omnes colles lingua Sabina tebae dicti; quam sententiam amplectuntur etiam Mueller et Grotefend [6]). At omnes superat ineptia Ovidius, qui Larae nomen a Graeco λαλεῖν ducendum [7]), Floram vero Graecis χλωρίδα esse censet [8]). Eadem fere audacia Plutarchus flamines ἀπὸ τῶν πίλων, proprie pilamines dictos [9]),

---

[2]) ap. Fest. s. v. Sabini; Plin. H. N. III, 12.
[3]) Fest. s. v. Plut. Num. 8.
[4]) Gell. XIII, 21.
[5]) Fest. s. v. Valer. Max. X, 1.
[6]) Mueller. Etr. I, p. 43. Grotef. Arch. l. l. p. 123.
[7]) Fast. II, 600. Mueller. Etr. II, p. 106.
[8]) Fast. V, p. 195.
[9]) Plut. Num. 7.

opinatur, mire judicans, Jobam auctorem vanissimum sequutus [10]), antiquam Latinorum linguam multo magis Graecis verbis intermixtam fuisse, quam suo ipsius tempore. Quae jam attuli nominasse est refutasse. Neque dubito, quominus quicunque paulo accuratius in hanc quaestionem inquiret, plura etiam sit inventurus, quae veterum levitatem in consarcinandis verborum etymologiis arguant. Omissis igitur veterum hariolationibus, ad ipsam quaestionem pergo.

§ 23. Linguam Sabinam tantopere non distare a lingua Graeca, quam vulgaris fert virorum doctorum sententia, et argumentis et exemplis probari posse videtur. In historia Sabinorum non commorabor, quae obscurior est solenni veterum errore, ut omnia ex Graecia repetenda putarent. Attamen quum omnes scriptores, (soli sunt, quos fortasse excipias, Cato, Zenodotus Troezenius, Strabo) a Cn. Gellio usque ad Zonaram Sabinos a Graecis oriundos referant, inter quos princeps est M. Terentius Varro, Reatinus, linguae Sabinae maxime gnarus, (cujus de Sabinorum historia sententiam colligere licet ex Dionys. H. II, p. 112. Varr. de R. R. III, 1, 16; Macrob. Saturn. I, 7; Serv. ad Virg. Aen. I, 536), nemo, puto, dubitabit quin linguarum aliqua certe similitudo exstiterit, quae tali opinioni ansam dederit. Quomodo enim Varro, si linguas istas, quas pernovit, discrepantes cognovisset, in talem incidere poterat errorem? Atque distinctis verbis illud evenisse ostendit loco supra laudato, Sabinos vocem tebarum ab Aeolibus Pelasgis nactos referens, nimirum quod plura invenit, quae linguam Graecam olebant. Quod clarius altero loco ostendit: Item dictae lepestae, quae etiam nunc in diebus sacris Sabinis vasa vinaria in mensa deorum sunt posita: apud antiquos scriptores Graecos inveni appellatum poculi genus λεπαστάν, quare vel inde (h. e. quare, quamquam populi sunt remotiores) radices in agrum Sabinum et Romanum sunt profectae [11]). Varro igitur, qui linguae Sabinae bene gnarus erat, Graecas radices in linguam Sabinorum manasse putavit, quid est cur nos, quibus paucissimae tantum linguae Sabinae reliquiae sunt servatae, Varronis sententiam in dubium vocemus? Quam vero causam Mueller [12])

[10]) Plut. Rom. 15.
[11]) Varro de L. L. V, §. 123. de vita pop. Rom. I. ap. Non. XV, 35.
[12]) Etr. I, p. 43.

affert, ut Graecae linguae nulla in Sabinam vestigia translata, demonstret, a Siculis eos per Aborigines disjunctos fuisse, vereor, ne Umbrorum lingua rejiciatur, quae licet remotior etiam a Tiberi Graecam linguam sapit. — Accedit ut lingua Sabina Oscae Umbricaeque linguae, quae et ipsae a Graecae linguae typo non abhorrent, cognata fuerit, quod qui fieri potuerit, nisi Sabinorum quoque lingua Graecae cognata fuerit, equidem non perspicio. Ea denique quae Cap. I sunt disputata de singularum literarum apud Sabinos ratione nihil habent, quod huic sententiae adversetur, quum plerumque cum prisca Romanorum lingua consentiat Sabina.

§ 24. At verba requiruntur in lingua Graeca ex eadem orta radice, quae nisi allata erunt, res semper dubitationi erit obnoxia. Recensebo igitur talia vocabula, quorum numerum pauciorem nemo mirabitur. Et, quae accutissima est Niebuhrii annotatio, animalium rerumque domesticarum nomina ea sunt, quae postea demum ex aliis linguis, majore inter diversos populos existente commercio, inferri non solent. Sabinorum est vox porcus, cujus radicem facile apud Varronem agnoscimus, qui idem verbum (πόρκος) in Atheniensi formula invenisse se refert. Locus est obscurior Varronis de L. L. V. § 97. Mueller ex codicum vestigiis scribit: „porcus, quod Sabinis dictum APRIMO PORCOPOR, inde porcus; nisi si a Graecis, quod Athenis in libris sacrorum scriptum inveni κάπρῳ et πόρκῳ.“ At maxime, opinor, offendit, quomodo Varro formulam Sabinam, eam enim Mueller suspicatur, Romanis certo non satis perspicuam, ne uno quidem verbo explicationis causa addito, afferre poterat, ne quid dicam de Ablativo casu in tali sententia posito. Quare mendum, ex compendio scripturae ortum, hoc loco latere, mihi persuasi. Vocum vero ratio, qualis in codicibus exhibetur, haec est: porcus, quod Sabini dicto a primo porco poride porcus. Priorem sententiae partem Mueller ita emendat: porcus, quod Sabinis dictum (s. dicitur); ulteriora vero ita emendaverim: „a primo porco porriciendo porcus,“ ita ut haec totius loci sententia existat: Sabini primum porcum deis porriciebant, inde Sabini, a quibus Romani nomen acceperunt, a porriciendo porcum appellabant. Hanc vocis porci originem innuit Varro [13]): porca (terra inter

[13]) de R. R. I, 29. aliter de L. L. V, 39.

sulcos elata) quod ea seges frumentum porricit. Sic quoque exta deis cum dabant porricere dicebant [14]). Similiter fere ap. Varr. de L. L. V, § 112 codd. in poriendo, et imporiendo, pro: in porriciendo. Sed quoquo modo locus emendabitur, radicem verbi porcus Sabinis usitatam fuisse, agnoscimus. Alia verba, quae quotidie fere in ore Sabinorum versabantur, sunt: *vesperna* (Fest. s. v. coena), *coena* (Sabinorum lingua scesna), *crepusculum* (Varr. de L. L. VII, 77. VI, 5). Quorum verborum radices in Graeca quoque lingua inveniuntur, vesperna a Graeco ἕσπερος, vulgari illa spiritus asperi in v mutatione; coena, Graecorum κοινή, (nostrum Mahl), ut alii θοίνη [15]); crepusculum, cujus vocis originem Varro ipnoravit, Graecorum est κνέφας. Eadem ratione ἀλφός in alpus Sabinorum vocem transiit [16]). Paulo aliter cumba a κύπτω, cujus radix est ΚΥΒ. *Solis* vocabulum, quod Varro Sabinis vindicat, eandem quam Graecorum ἥλιος radicem ostendit. Neque tamen negligendus est locus epitom. Festi (s. v.): „Aureliam familiam ex Sabinis oriundam a Sole dictam putant, quod ei publice datus sit locus, in quo sacra faceret soli, qui ex hos Anselii dicebantur.“ Ex quo loco effici posse videtur, praecipue si aurorae vocem respicimus, ausum apud Sabinos solem significasse. Graecum foret ἠώς, cujus verbi Dorica et Aeolina forma est ἀώς, unde digammate inserto ἀυώς, quam formam verbi aurorae radicem, est consentaneum. Similiter enim auris vox orta est ex Graeco οὖς, Laconica et Aeolica dialecto αὖς, unde litera r inserta, auris. Neque dubito, quin eadem ratione sibi respondeant ἄω, αὔω et aura. A Graecorum igitur ἀώς, Sabinorum vocabulum ausum [17]), atque hinc aurorae vocem ducendam suspicetur aliquis. Sed obstat auctoritas Varronis, solis vocem a Sabinis usurpatam referentis, atque respicienda veterum Grammaticorum in verborum origine eruenda, levitas. Hinc Festi sententia haec fuisse videtur: Aurelii a sole primo fortasse Absolii (Ausolii, Auselii), deinde vero, pronuntiandi ratione lenita magis, Aurelii sunt dicti. Sed redeo ad propositum.

---

14) Plura de porriciendi voce Interpr. ad Fest. s. v.

15) Schneider, lat. Gr. I, 1, p. 242.

16) Fest. s. v. album.

17) Fest. s. v. aurum.

Sabinorum vox est *dirus* (dialecto tantum discrepans a duri voce), quae Graeco vocabulo δεινός respondere videtur. Quod enim Festus s. v. et Servius ad Virg. Aen. III, 235 vocem dirus ex dei ira natus compositam putant, merae sunt Grammaticorum nugae; priorens vero etymologiam quum significatio verborum, tum similia exempla probant [18]). Vocabulum *Vehere*, ex solenni adspiratae h in f mutatione Sabinorum vefere, non minus Graecum etymon prodit. Est enim Graecum ἔχειν (unde ὀχεῖν, vehere, ὄχος, vehiculum), digammate praefixo. Verbum *trahere* Sabinorum trafere, compositum putant ex tra, forma breviori praepositionis trans, et vehere; rectius vero ut *veho* cum Graeco ὀχέω, ita *traho* cum vocabulo τροχάω componitur. Utraque vox Graecam originem prodit. *Terminum* deum a Sabinis Romanos nactos refert Varro, quod nomen Graeco vocabulo τέρμων respondet. *Strenae* vocem Sabinis plurimi scriptores impertiunt, a qua strenui vocabulum ortum putant. Cognata est vox cum Graeco στρήνης. *Vestae* Sabinorum nomen a Graeco Ἑστιά originem ducit. In verbis *fors* et *fortuna*, quae Sabinis Varro vindicat, Graecàm radicem φέρω facile agnoscimus. Idem valet de *Saliorum* nomine, a Graeco ἅλλομαι ducendo, et *fidei*, quod Graecam radicem ΠΙΘ exhibet. Verbum *nero* Lassen (l. l. II, 1, p. 160) ex lingua Sanscrita repetit, in qua nara, Persarum ner, virum fortem significat, cognatumque judicat cum Graeco ἀνήρ, vocali α praefixa. *Terenti* vocem, qua lingua Sabina molle significatur, illaticiam putat Mueller, sed obstat Terentii nomen, quod ex eadem radice ortum censet Varro apud Macrob. I, 14 [19]), Graeca est radix TEP unde τείρω, τέρης. — Verba igitur Sabina, quae linguae Sabinae et Graecae aliquam certe ab initio cognationem fuisse, ostendunt, haec sunt: alpus, coena, crepusculum, cumba, dirus, fors, fortuna, nero, porcus, Salii, sol, strena, terentum, terminus, trahere, vehere, versperna, Vesta.

§ 25. Nonnullas tamen voces ex commercio Graecorum in linguam Sabinam illatas esse, probabile videtur. Sabinos enim Graecorum saepe commercio usos, jam hoc satis probat, quod

---

[18]) Κλεινός. clarus; κνέφας. crepusculum; σεμνός (propr. σεβνός, ut somnus et sopnus), severus; καρκίνος, cancer. cf. de litera r et n cognata Schneider, lat. Gramm. I, 1, p. 318.

[19]) Lanzi, Sagg. II, p. 385.

et totius populi origo a Graecis repetatur, et singularum gentium (Fabiorum, Flaviorum, Vitelliorum) historia Graecis fabulis sit involuta. Vasorum imprimis nomina, apud Sabinos usitatorum, Graecis vindicanda sunt. *Lepestae* sunt vasa aut fictilia, aut aenea. Quod verbum a Graecis, vasa saepe efferentibus, in linguam Sabinorum transiisse, Mueller et Grotefend jure suspicari mihi videntur. *Diotam* Sabinam Horatius (Od. I, 9, 2) commemorat. Vox itidem ex Graecis ad Sabinos advecta videtur. *Simpuvii* vocem Meursius Sabinam putat, quod Juven. VI, 340 Numae simpuvium commemorat, in sacris imprimis Liberi maxime usitatum. Nomen a Graecis translatum apparet. Tota vero quaestio eo redit, ut etiamsi nonnulla Sabinorum verba postea demum a Graecis sunt illata, *eorum verborum, quae linguam Sabinam et Graecam ab initio cognatam demonstrent, nimius existat numerus, quam ut ulli, quominus utraque lingua cognata fuerit, debitationi locus dari queat.*

Caput tertium.

Quaeritur, quem locum inter reliquas Italiae linguas tenuerit Sabina.

A. De ratione, quae linguae Tuscae et Sabinae intercessit.

§ 26. Tota fere, quam institurus sum, disputatio in rejicienda Grotefendi sententia versabitur, qui linguam Tuscam et Sabinam maxime cognatam censet. Qua in re timidius me versari, ingenue profiteor, quum viri doctissimi et benevolentissimi obstet auctoritas. Priusquam vero ad ipsas, quas sententiae suae firmandae causa profert vir doctissimus, rationes progrediar, pauca praemittam, quae minime negligenda videntur ei, qui certius de hac re judicium ferre cupit. Atque hanc regulam primo loco ponendam puto: Si lingua Sabina cognata erat linguae Tuscae omnino a typo linguae Oscae et Umbricae abhorrebat. Hinc efficitur, ut *quum Oscae Umbricaeque lin-*

quae affinis fuerit Sabina, nulla cognationis ratio inter eam et Tuscam liguam intercedere potuerit. Cui sententiae Lassen [1]) quoque favet, qui et ipse linguam Sabinorum cum Umbrica, Osca et Latina componit, omnino discernit a Tusca. *Idem efficitur ex lingua Graeca et Sabina cognata,* cujus tot nobis vestigia esse relicta, mirum foret, quum lingua Tusca inexploratum adhuc sit, Graecae linguae aliquod habuerit elementum, annon habuerit. *Literarum porro ratio tantopere in utraque lingua,* Sabinam dico et Tuscam, *discrepat* (cf. § 14), ut hoc unum argumentum satis evincere mihi videatur, quantum utriusque linguae ratio discrepet. *A nullo denique scriptore prisco Grotefendi sententia confirmatur.* Catonis enim locum, quem Annius profert, confictum constat. Quae quum ita sint, Grotefendi rationes aut rejiciendas aut aliter explicandas censeo.

§ 27. I. *Verba nonnulla Sabina simul et Tusca laudantur* [2]). Vocabulum *bullae* (Sabinorum vocem laudare dicitur Macrobius I, 6) et *baltei* (Tuscum vocabulum, auctore Varrone apud Sosipatrum I, p. 59. P.) Grotefend cognatum putat, Varronem sequutus, qui balteum ita nuncupatum refert, quod cingulum e corio habebant bullatum. Dubito vero quin ab ullo scriptore vocis bullae origo a Sabinis repetatur; hinc comparatio inter has voces nullo jure instituitur. Anysius porro, scriptor ignotus ap. Lydum de Mens. IV, 20, februum τὸν καταχθόνιον Tuscorum lingua dicit, quem coluerint Luperci pro fructuum incremento. Idem Fulvius et Junius Gracchanus innuere videntur apud Varronem [3]): Posterior (mensis), ut idem dicunt scriptores, ab *diis inferis* februarius appellatus, quod tum his parentetur. Ego magis arbitror (sunt verba Varronis) februarium a die februato, quod tum februatur populus, i. e. lustratur...etc. Varro enim vocem a Sabinis repetit: februum Sabini purgamentum, et id in sacris nostris verbum [4]). Qua in re majorem fidem Varroni tribuerim, praecipue quum in eo omnes consentiant, februarium mensem a Numa esse institu-

---

[1]) l. l. I, 3, p. 365.

[2]) Grotef. Arch. f. Phil. u. Paed. 1829, p. 121 sqq.

[3]) Varro de L. L. VI, 34. cf. Macrob. I, 13.

[4]) Varro de L. L. VI, §. 13. et ap. Non. II, 355.

tum [5]). Itaque unum vocabulum superest *Idus*, Tuscorum lingua Itus [6]). Sed Tuscorum temporis accuratius constituendi, atque per menses, annos, saecula digerendi ratio maxime erat exculta [7]). Quid miramur, si haec, quemadmodum in Romanos, sic in vicinas quoque gentes Umbrorum et Sabinorum maximam vim exercuerunt. Hinc non solum res ipsae, sed rerum quoque nomina, id quod saepe evenit, paullulum quidem immutata ad linguarum indolem, in linguam sunt illata, sine ulla linguarum affinitate.

§ 28. II. *Nominum deinde aliquot propriorum, quae videtur, similitudine nititur Grotefendi sententia.* Sed audacius nonnunquam egisse videtur vir doctissimus, quippe qui *Claudii* nomen, antiquitus Clausus, ortum putaret a Clan, terminatione usus addita. *Volusii* nomen eadem ratione a Fulse ortum suspicatur. (cf. l. l. p. 122) *Tali* [8]) deinde nomen contractum putat ex voce Thanulus, ut sit Jovilius. Thanum enim esse Janum, additamque esse sillabam deminutivam, quam vocant. Satis ingeniosa conjectura, quam tamen rejicere videtur Virgilius [9]), Talon (Codd. Talum) Rutulum laudans, priori syllaba correpta; posterioribus demum temporibus, ut inscriptiones probant, Talli nomen invenitur. *Attus*, praenomen Sabinorum, Lanzi [10]) quidem Tuscis vindicat, nomina saepe cum praenominibus confundens, Mueller tamen omittit. Solum, quod in utraque terra usitatum fuisse videtur, nomen est Titi, Tuscis Tete [11]). Nihil tamen nomina propria in monumentis Tuscis obviam cum aliis aliarum linguarum comparata probant, quum facile posterioribus demum temporibus a Tuscis usurpata fuerint.

§ 29. III. *Maxime Grotefend sententiam suam firmari putat, quod magnus deorum numerus a Sabinis et Tuscis simul repeti potest.* Deorum vero cultum etiamsi non ab om-

---

5) Mueller. Etr. II, p. 75. Creuzer, Symbol. II. p. 917 sqq.

6) Varro de L. L. VI, § 28.

7) Mueller Etr. II, p. 322 sqq.

8) ap. Fest. s. v. Dionys. II, 20 Tallus.

9) Aen. XII, 513.

10) Lanzi, Sagg. II, p. 281.

11) Grotef. l. l. p. 122.

nibus Italiae populis eadem ratione procuratum, non tantopere tamen discrepantem apud plurimos Italiae priscae populos contenderim, quum plerumque, majori inter populos orto commercio, sacrorum quoque aliqua communicatio evenire soleat. Tuscorum enim Sabinorumque multos deos communes fuisse constat [12]); idem Sabinis et Umbris evenit, qui magnum deorum numerum sub iisdem fere nominibus coluerunt [13]). — Sabini sub Tatio et Numa deorum cultum cum Romanis communicaverunt [14]). Sed jam ante imperium junctum sacrorum aliqua conjunctio fuisse videtur, quod Sabini a Romanis ad Consualia celebranda invitati dicuntur. Inter Oscorum Sabinorumque de deis doctrinam similitudinem aliquam intercessisse, quum magnus deorum numerus, utrique populo communium, tum hoc maxime probat, quod Titus Tatius Sabinus Laurenti solenne sacrificium egisse dicitur. Unde apparet nulla ex communi deorum cultu cognationis argumenta posse depromi. Deinde non solum Sabini a Tuscis deorum cultum sunt nacti, ut Minervae, Vertumni aliorumque, sed Tusci quoque a Sabinis nonnullos deos sunt adepti, Feroniam, Soranum, alios [15]). Nomina porro deorum Tusca et Sabina discrepant, ut jam inde utriusque linguae diversitas appareat, ita Tina Tuscorum Jupiter est Sabinis; Cupra est Juno Curitis Sabinorum; Vulcani nomen, quin Tuscum sit, dubitant; Vedii nomen Tuscis ignotum [16]). Itaque licet idem saepe deorum cultus, nomina deorum minime congruunt: quin, etiamsi omnino congruerent, nihil inde sequeretur de linguis cognatis. Neminem enim fugit, mutuam saepe deorum deditionem antiquitus usu venisse, sine ulla linguarum cognatione. Quid enim, nonne Graci plures deos ab Aegyptiis nacti dicuntur, nonne Romani omnium fere populorum, quos ditioni suae subjecerunt, deos cultumque civitate donarunt? In quantum vero errorum gurgitem incideret is, qui ex tali deorum cultu conjecturam facere vellet de linguarum origine. Itaque ex eorundem deorum cultu,

---

[12]) Mueller, Etr. II, p. 64. Grotef. l. l. p. 121.

[13]) cf. § 32 et Kaempf, Umbr. I, p. 59 sqq.

[14]) cf. impr. Varr. V, § 74.

[15]) Mueller. Etrusc. II, p. 64 sqq.

[16]) Mueller l. l. p. 47, 57, 59.

nominibus praeterea discrepantium saepe, nulla linguarum cognatarum argumenta depromenda esse, censeo.

§ 30. IV. *Terminationem denique nonnullorum nominum propriorum ex Tusca lingua repetendam putat Grotefend.* Supra enim (§ 20) monstravimus e et ie feminini generis terminationem fuisse, quam deprehendimus in nominibus Sabinorum Nerine, Neminie, Erinie et Herie. Masculini quoque terminatio e Sabinis fortasse ex inscriptione Marsica, in qua Erine, nomen Herennii invenitur, tribuenda. Eadem in lingua Tusca fuit usitatissima Masc. gen., ut pro Graecorum terminationibus *ευς* (Tute, *Τυδεύς*), *ης* (Phulnike, *Πολυνείκης*), *ος* (Athruste, *Ἄδραστος*), Romanorum us (Cuinte, Quintus), ius (Cale, Caelius). — At feminini generis terminatione e et ie quin unquam Tusci fuerint usi, dubito. Tuscorum enim fem. gen. terminationes sunt a, sa, s, th; eia, ia, ei, i, in quibus litera vocalis a nonnunquam ob accentum remotiorem excidisse videtur [17]. Quae vero comparationis causa Grotefend affert nomina Cazpres et Casperiena, illud (Cazpres, propr. Cazpresa) uxorem Casperii significat, ut apud Lanzi II, p. 385: Tannia (nomen) Trentinei (e gente Terentia) Caspres (uxor Casperii); alterum vero Casperiena nomen est, praeposito praenomine Aula. Fortasse etiam in inscriptione, quam Grotefend profert (Larthia Fipis Cazpres) Fipis (Fipisa) uxorem Vibii, Cazpres vero genitivo casu Casperiae (i. e. filiam) significat [18]. Sed quidquid de utraque voce statuimus, minime eas inter se componendas apparet. Neque magis ulla comparatio inter Casperiena vocem et Nerine similesque voces est instituenda, quum illud nomen vocalem a, qua femininum genus significetur, exhibeat. Omnibus igitur causis perspectis, nihil esse videtur, cur linguam Sabinam et Tuscam cognatam censeamus.

B. De lingua Sabina et Umbrica cognata.

§ 31. Quem jam disputandi campum ingrediar, timidius in eum descendo, quum iterum imparibus mihi viribus sit pugnandum contra sententiam viri doctrina excellentis Grote-

---

[17]) Mueller. Extr. I, p. 447, 449.

[18]) Mueller. Etr. I, p. 451.

fendi, qui demonstraturum se pollicitus sit linguam Sabinam nihil communicasse cum lingua Umbrica. Attamen ipse vir doctissimus paululum a sententia sua deflexisse videtur, quum Sabinos eadem ratione e gentibus Umbrorum Tuscorumque mixtis oriundos censeat, qua Latinos ab Aboriginibus Siculisque [19]). Quod accuratius examinare ab hoc loco est alienum, at niti mihi videtur haec sententia ea, quam de lingua Tusca et Sabina cognata tulerat opinione. Omnino viri doctissimi in eo consentiunt, Graecorum de Sabinorum origine hallucinationes nihili esse faciendas, sed eos tantum esse audiendos, qui Italicam Sabinorum originem allegant. Inter quos gravissimus est auctor Zenodotus Troezenius, quem in Umbrorum historiam accuratius inquisivisse, suspicatur Mueller [20]). Cujus sententiam, Sabinos Umbrorum esse propaginem, firmare studet Kaempf [21]). Neque possum, quin assentiar viro doctissimo, tantum enim abest, ut Catonis sententia, Sabinos ab Amiterno repetentis, huic sententiae refragetur, ut magis etiam firmet eam. *Quare primum historia innuit, quantopere Sabinorum Umbrorumque lingua cognata fuerit.*

§ 32. *Deorum deinde cultus utrique populo communium,* quamquam per se nihil valet ad linguarum originem probandam, tamen si aliae accedunt causae, *non minus huic sententiae favet.* Magnum enim deorum numerum in tabulis Eugubinis deprehendimus, qui a Sabinis sub iisdem fere nominibus colebantur. Umbrorum deus *Fiso* (Fise, Fisovi) *Sasi* (Sansie) Sabinorum est *Dius fidius* [22]), *Jovis* [23]) nomen, Sabinis non ignotum Umbrorum est *Jufie, Jovi, Jufepater, Jupater. Mars,* Sabinorum Mamers [24]), in tabulis Eugubinis *Marte* vocatur. *Feronia,* quam deam Sabinis vindicat Varro [25]), Umbrorum videtur Vesune [26]), quod idem nomen in tabula Mar-

---

[19]) In Ephem. Numism. Hanov. 1835. Nr. 27.

[20]) Etrusc. I, p. 3. Kaempf. Umbr. I. p. 54.

[21]) Kaenpf. l l. p. 53—72.

[22]) Lassen l. l. I, 3, p. 386 sqq. Kaempf. p. 60 sq. Grotef. Umbric. p. III, p. 24 sq.

[23]) Varro de L. L. V, §. 74.

[24]) Varro de L. L. V, §. 73.

[25]) Varro de L. L. V, §. 74.

[26]) Tab. Eug. I, 3, 6, 10, 12 saep.

sica deprehenditur [27]). Et maxime quantum utriusque populi de deis doctrina congruat, probat nomen Coredier [28]), qnod Lanzi Corae diae vertit, simplicissima vero ratione, quod Grotefend praecipit, Curitis nomen ab Umbris usurpatum accipitur [29]). Quae deorum nomina omnino sibi respondent, quamquam num idem deorum fuerit cultus, difficile est dijudicare. Sed consentaneum fit ex nomine Saliorum, in tabulis Eugubinis obviam [30]), quos tamen a Sabinis repetit Plutarchus [31]). Pici quoque cultus, quem maxime observarunt Sabini [32]), ab Umbris minime est neglectus [33]): Quae satis jam indicant, quam arcto vinculo utriusque populi de deis doctrina fuerit conjuncta, neque parum linguarum inter se cognationem firmant.

§ 33. Graecum porro elementum, utrique linguae commune, Umbrorum Sabinorumque linguam ex eadem radice ortam probat. Singularum deinde literarum ratio plerumque cum lingua Umbrica congruit, quod maximum jure linguarum cognatarum argumentum habetur. Nonnulla denique nobis sunt relicta verba, quae in utraque lingua sibi respondent. Atque gravissimus est locus Servii [34]): Sabini et Umbri dira vocant, quae nos mala. Plinii enim locum: Umbri et Marsi ad vicenos intermittunt in his, quae vocant porculeta [35]), etiamsi Marsi eadem, qua Sabini lingua utebantur, nihil probare puto, quum utriusque populi linguam Plinii tempore fuisse exstinctam, omnino sit consentaneum. Prior vero locus, ex antiquiore nimirum scriptore desumtus, ipsos veteres nonnunquam utramque linguam composuisse ostendit. Nomina porro deorum, quae modo laudavi, sibi respondent. Plura

---

[27]) Lanzi, Sagg. II, p. 619. Grotef. Archiv. l. l. p. 121. et inpr. Umbric. part. III, p. 14.

[28]) T. E. VI, a, 45. Lanzi, II, p. 720.

[29]) Grotef. Umbric. part. III, p. 21.

[30]) T. E. VI, b, 14.

[31]) Plutarch. Num. 12. Creuzer, Symb. II, p. 983.

[32]) Strabo V, p. 240. Creuzer l. l. p. 968.

[33]) T. E. VI, b, 1 saep., Grotefend. Umbr. III, p. 8.

[34]) Servius ad Virg. Aen. III, 235.

[35]) H. N. XVII. 22, sg. 35.

quoque nomina propria utrique populo sunt communia. Sabinorum Pompilii Umbris sunt Pompersii [36]). Quamquam, quod Lanzi vult [37]), Fabiorum nomen in tabul. Eugub. deprehendi, inexploratum relinquo. Metti nomen, quod Oscorum voci Meddix respondet, in Umbrorum quoque lingua deprehendimus [38]). Trebiam oppidum in utraque terra invenimus; neque omittendus est locus, quem itineraria prisca inter Falacrinum et Cutilias situm probant, Interocrium. Cujus nominis Umbricam radicem, quae in priscam quoque Romanorum linguam transiit, ocrem (montem) facile agnoscimus [39]). Saliorum picique verbum utrique populo commune. Aliud animalis nomen est porcus, Umbrorum purca et porca [40]). Umbrorum porro verbum, quod in Sabina quoque lingua deprehenditur, est alfir [41]), quo album significari puto, quum respondeat adrir (atris) [42]); Sabinorum est vox alpus. Fircus Sabinorum est vocabulum, hirpus Oscorum fuisse videtur; hinc Hirpini ad lacum Amsanctum; in inscriptione Umbrica [43]) legitur Santirpior, quod hirpi nomen haud inusitatum Umbris fuisse ostendit. Quamquam si verum est, quod ex Olivierio Lepsius refert, illam inscriptionem a Ligorio esse suppositam, nihil inde efficitur. Sed Hispelli, oppidi Umbrorum, nomen a hirpo ducendum videtur. Terminum deum Romanos a Sabinis nactos refert Varro; quod verbum in Umbrorum quoque lingua deprehendimus [44]). Neronis quoque vocem Lassen [45]) cognatam putat cum Umbrica voce nerf et nerus, qua fortitudinem significatam censet, qui sensus toti sententiae est accommodatissimus: Ipsum Neronis nomen in inscriptione Umbrica bis legitur ap. Grotef.

---

[36]) Tab. Eug. V, b, 2.

[37]) Lanzi, Sagg. I, p. 312. III, p. 734, 742.

[38]) Grotef. Umbr. I, p. 22.

[39]) Lassen l. l. I, 3, p. 386 sqq. Grotefend. Umbr. III, p. 6.

[40]) Lanzi, Sagg. III, p. 829.

[41]) Dat. plur. T. E. VII, a, 26, 32, 34.

[42]) VII, a, 31.

[43]) Grotef. Umbr. I, p. 22.

[44]) Saepe in tab. Eug. cf. Lanzi III, p 836. et inscript. Umbr. ap. Grotef. Umbr. I, p. 22.

[45]) l. l. II, 2, p. 161.

l. l. Salvom saepissime in tab. Eug. legimus [46]); itaque quum salutis nomen a Sabinis repetat Varro, eandem radicem in utraque lingua facile agnoscimus. — Quae argumenta, ex singularum vocum comparatione repetita, quamquam desultorium aliquid habent, conjuncta tamen sententiam, quam proposui, Muellerum Lasseniumque secutus, satis firmare videntur.

C. De linguae Oscae et Sabinae ratione.

§ 34. Linguam Sabinam et Oscam cognatam fuisse, Varronis testimonium probat: Cascum significat vetus; ejus origo Sabina, quae usque radices in Oscam linguam egit [47]). Altero loco Varro Rer. hum. l. XIX multae vocabulum non Latinum, sed Sabinum esse dicit, atque ad suam memoriam mansisse in lingua Samnitium, qui sunt a Sabinis oriundi [48]). Jam quod priori loco demonstrandum sibi sumsit, cascum vetus significare, oppidi Samnitici Casini nomine illustrare studet, „hoc a Sabinis orti Samnites tenuerunt, et nunc nostri etiam nunc Casinum forum vetus appellant.“ Itaque non dubito, quin Varro altero loco multae vocabulum non ideo Sabinum putarit, quod in Samnitium lingua invenitur, sed Sabinorum eam vocem fuisse, cognitum habens, ad suam memoriam in Samnitium lingua mansisse refert. Samnites enim linguam ab Oscis mutuatos probat Mueller [49]), quamquam facile linguae Sabinae vestigia aliqua remanserunt. Hinc Paul. Diac in epit. Festi: multam Osce dici putant poenam; prolixius vero Festus: „multa, Osce dici putant poenam quidam. M. Varro ait poenam esse, sed pecuniariam, de qua subtiliter in lib. I quaest. Epist. refert.“ Quo loco miror Festum, licet Varronis sententiam neglexisse non videtur, illam vocem Oscam vocare, unde conjicio *ipsum Varronem* multae vocabulum, quemadmodum casci et Sabinam et Oscam putavisse. Nunc etiam in tabula Bantina multae vox invenitur [50]). Mamertis porro nomen

---

[46]) Lanzi III, p. 832.
[47]) Varro de L. L. VII, § 28.
[48]) ap. Gell. XI, 1.
[49]) Etrusc. I, p. 40.
[50]) Mueller. Etr. I, p. 37, 42. Lanzi, III, p. 610.

Varro a Sabinis repetit [51]); epitome contra Festi (s. v. Mamercus): Mamercus praenomen est Oscum, ab eo, quod hi Martem Mamertem dicunt [52]). — Ex loco Censorini [53]) Varronem Februarii nomen ex Latio (h. e. ab Oscis) ducere apparet: Ceterum Januarium et Februarium postea quidem additos (refert Varro) sed nominibus jam ex Latio sumtis, et Januarium a Jano cui attributus est, nomen traxisse, Februarium a Februo. Ex quibus locis inter se comparatis, Oscorum Sabinorumque linguam saepius a Varrone compositam apparet. Prave vero Servium vocem hirpi, quam Samnitibus tribuunt Festus et Strabo, Sabinis vindicasse videtur; facile enim ob Varronis locum a Gellio laudatum, totam Samnitium linguam a Sabinis esse repetendam, opinari poterat [54]). At cognatum certe est vocabulum hirpus voci fircus. Sed quidquid de singulis vocibus statuitur, jam hoc utramque linguam cognatam probare Muellero [55]) videtur, quod Samnites, a Sabinis oriundi, Oscorum linguam facile adoptarunt. Accedit ut singularum literarum ratio, etiamsi non semper in utraque lingua congruit, nihil tamen habeat, quod illam sententiam infringere possit. Praeter ea verba, quae supra sunt laudata, pauca tantum etiamnunc utramque linguam cognatam ostendunt, (ut Mettus, Osc. Meddix; Ancus, Ampus; Embratur etc.), sed si reputamus Sabinorum linguae ea, quae nobis relicta sunt, monumenta, Graecum prodere elementum, Umbricae linguae plura similia inveniri, linguae Latinae cognatam vocari Sabinam, singularum literarum rationem Oscae linguae convenire, a Varrone denique linguae Oscae cognatam laudari Sabinam, neminem fore, puto, qui huic sententiae fidem denegare velit.

---

[51]) de L. L. V, § 73.

[52]) Eadem s. v. Mamers.

[53]) de die natali XXII.

[54]) Simili errore Cluver., p. 43 et 1061 Sabinos Oscorum propaginum conjecit, nimirum quod plura verba in utraque lingua sibi respondere intellexit.

[55]) Mueller. Etr. I, p. 42.

Caput quartum.

De linguae Latinae et Sabinae ratione.

§ 35. Linguam Sabinam et Latinam ab initio diversam fuisse, demonstratione vix eget. Probant enim maxime utramque linguam discrepantem verba, quae Sabinis propria sunt vindicanda, neque in Latina lingua inveniuntur, ut ciprum, curis, herna, nar, nero, quae vox apud Romanos nonnisi cognominis locum tenebat. Porro, quem literae adspiratae f usum pro simplici adspirata h Sabinis Grammatici tribuunt, quamvis prisci Romani non omnino adspernati sint, parcius tamen adhibuerunt. Nam dum arenae vocem Sabinis fasena pronunciatam refert Varro [1]), ex eodem scriptore, in antiquissimo Saliorum carmine, ipsis sacerdotibus Horatii tempore vixdum perspicuo, asena sine adspiratione scriptum cognoscimus [2]). Dubitari etiam potest, quin verba vefere et trafere, qua pronunciatione Sabinos usos Varro testatur, Romani unquam eadem ratione pronunciarint. Vocalis denique o a Sabinis adamata, postea vero a Romanis in a mutata, aliâque, quae commemorare longum est, aliquotenus utramque linguam dissensisse, probant. Quae argumenta Varronis auctoritate firmantur, quippe qui nonnulla tantum Sabinorum nomina in utraque (Sabinorum et Romanorum) lingua habere radices referat; pergit Varro, ut arbores, quae in confinio natae in utroque agro serpunt; potest enim Saturnus hic (ap. Romanos) de alia causa esse dictus, atque in Sabinis, et sic Diana, et de quibus supra dictum est [3]).

§ 36. Neque tamen ideo nullam inter Latinam et Sabinam linguam affinitatem fuisse, statuo, quod maxime adversaretur sententiae, quam de lingua Umbrica et Osca cognata cum Sabina supra proposui. Atque hoc, quasi regulam, ad quam judicium nostrum dirigamus, primo loco ponendum puto, voces,

---

[1]) ap. Vel. de Orthogr. p. 2230.

[2]) De L. L. VII, 27.

[3]) Varro de L. L. V, § 74.

quae in lingua Umbrica et Osca inveniuntur, Sabinas, si Latinis quoque usitatae sunt, primitus jam Latinas fuisse. — Atque idem contenderim de verbis Sabinis, quae Graecum produnt etymon. Mirum enim foret, si Graecae linguae elementum, quod linguae Latinae insitum deprehendimus, a Sabinis demum illatum esse, statueremus. Animalium denique nomina earumque rerum, quae necessariae sunt ad vitam agendam, et quotidie fere in ore hominum versantur, ab initio linguam Latinam tenuisse puto. Quare sequentium verborum, atque haud scio, an aliorum quoque, ab initio linguae Latinae insitas, neque a Sabinis demum illatas, putaverim: aurum (ausum), albus (alpus), coena (scesna) crepusculum, durus (dirus), imperator (embrator), arena (fasena), hircus (fircus), hoedus (foedus), fors, fortuna, picus, porcus, salus, sol, trimodiae, vehere (vefere), vesta, vesperna, trahere (trafere). Itaque quam paucis verbis indicare satis putavi, sententia mea haec est: Lingua Sabina, quamquam in singulis paululum distans a lingua Latina, universe huic linguae cognata erat.

§ 37. Sed quum singula satis probari nequeant, qualem utraque lingua vicissim vim exercuerit, quam brevissime sum quaesiturus. Et maximam dico Sabinos ut in civitatem ita in linguam Romanorum vim exercuisse. Nam non solum terra eorum vicina, sed Roma utrique populo communis erat [4]). Sabini incolebant Quirinalem, Aventinum [5]), Carinas [6]), vicum Cyprium [7]). Quantam urbis partem Sabini incoluerint magis etiam probat gentium, quae a Sabinis repetuntur, numerus, quin ipsum Quiritium nomen a Sabinis ductum jure existimatur. Quot instituta Numa in civitatem intulisse dicitur, quin juris civilis magnam partem Sabinis deberi, contendit Petersen [8]). Deorum plurimorum cultum Romanos non dico nactos a Sabinis, at communicasse cum his, Varro demonstrat [9]).

---

4) Bunsen, Descript. Romae I, p. 143 sqq.

5) Varr. de gent. pop. Rom. ap. Serv. Virg. Aen. VII, 657.

6) Serv. ad Virg. VIII, 361. Carinas ab aliis (Varrone puto) ita nominari creditas refert, quod Sabini nobiles ibi habitarint etc.

7) Varr. de L. L. V, §. 159.

8) De origin. hist. Roman. Hamb. 1835. p. 29.

9) Varro de L. L. V, § 73.

Imperium denique utrique populo a primordiis fere urbis commune fuisse, ex historia notissimum. Plura commemorare longum est, attamen si quis omnia colligat, non dubitabit, puto, quin Sabinorum lingua maximam necessario in linguam Latinam vim exercere debuerit. Atque ut taceam nomina propria deorumque nomina, nonne omnia fere verba, quae Sabina vocantur, in Romanorum lingua inveniuntur? Quorum quum plurima ad deorum cultum annique constituendi rationem pertineant, in Romanorum postea linguam illata ea suspicor. Talia sunt verba: ancus, ciprum, cupencus, februum, idus, depesta, lixula, strena, tesca, quorum verborum numerum multo majorem, fuisse, facile intelligitur [10]).

§ 38. Quantam vim in linguam Latinam exercuerit lingua Sabina singulatim explorare nequimus, propter parcam nostram linguae Sabinae cognitionem. At unum suspicor, quod quam brevissime exponam. Notissimum est, quantopere Osci literae p usum (in relativo, in nomin. propr. etc.) adamarint. Quod quamquam non omnino exstinctum est in lingua Latina, mirum tamen quanto rarius inveniatur in Latinorum lingua, quam Osca. Fortasse Graecae literae hoc effecisse videantur alicui, at mihi majorem vim Sabina lingua exercuisse videtur. Quod enim § 11 observatum est linguam Sabinam, ubi Osca habeat p, saepius literam t et c posuisse, id, postquam Sabini Romae partem occuparunt, manasse videtur in linguam Latinam [11]). Quin omnino si quis linguam Latinam ortam putet ex Osca, emendatam vero, ut ita dicam, sis auctam lingua Sabina, non contradicam. Ita enim, qua ratione Osca et Latina lingua differat, facillime explicari potest, et historia illam sententiam firmat. Quod tamen propter subsidiorum tenuitatem, nunc desero; hoc certissimum puto, linguam Sabinam maximam vim exercuisse in linguam Latinam.

---

[10]) Eandem sententiam amplectitur Bunsen (descript. Romae I, p. 687) qui linguae Sabinae vestigia aliqua in Romanorum linguam irrepsisse, Tuscae vero nulla, ex historia demonstrare studet.

[11]) Idem innuit Schwenck (Zeitschr. f. Alterth. 1836. p. 570): Dass der Laut von p und c sich in der lateinischen Sprache findet, kommt daher, dass sie kein reiner Dialect ist, sondern dass verschiedene Dialecte in ihr vereinigt sind etc.

§ 39. Postquam invaluit Romanorum respublica atque lingua, reliquae Italiae linguae uni cesserunt, quod subito evenisse nemo putabit, sed crescente demum Romanorum imperio, aucto populorum commercio. Sic lingua Tusca paulatim remota, sic Samnitium Lucanorumque lingua Strabonis tempore exstincta [12]). Quod quando Sabinae linguae evenerit, quaestio est difficilior. In diversas enim partes abeunt virorum doctorum sententiae, quum Niebuhr (I, p. 117. ed. III), Wachsmuth (Rom. hist. p. 75) et Bernhardy (Histor. literar. Rom. p. 64) Varronis tempore linguam Sabinam jam exstinctam, Mueller contra (Etr. I, p. 41) salvam etiam fuisse, censeat. Cujus litis quamquam ego arbitrium mihi non arrogo, accedo tamen ad Niebuhrii sententiam. Neglecto enim Livii loco [13]), qui Tullo Hostilio regnante, nonnullos Fidenates Latinae linguae peritos fuisse, refert, hoc maxime offendit, quomodo Varro, si lingua Sabina usitata etiam erat, verbum Sabinum e Samnitium lingua repetere poterat. At ipsa Varronis verba, multae vocabulum *ad suam memoriam* mansisse in lingua Samnitium indicare videntur, Sabinorum linguam ad Varronis memoriam non pervenisse. A nemine porro, neque Grammatico, neque Geographo, neque Historico, ut viva commemoratur, immo Ovidius, quamquam Pelignus dubitanter de lingua Sabina loqui videtur, canens de Quirini nominis origine [14]): Sive quod hasta curis priscis est dicta Sabinis. Quinctiliani quoque commemoratio [15]): Taceo de Tuscis et Sabinis et Praenestinis, quorum sermone utentem Vectium Lucilius insectatur, facile probat, quam ignota istis temporibus Sab. lingua fuerit. Quem vero locum Mueller, quo sententiam suam firmet, laudat Varronis: „Idus ab eo, quod Tusci Itus, vel potius quod Sabini Idus dicunt“, eum nihil probare puto. Iduum enim vox Varronis tempore in linguam Romanorum recepta erat. Quonam vero jure Varro, si eandem vocem Sabinis suo ipsius tempore usitatam invenit, vocem a Sabinis repetere poterat? Oportebat igitur Varronem antiquiorem Sabinorum linguam calluisse, 'nisi fortasse, cognitum

---

[12]) Strabo V, p. 254.

[13]) Liv. I, 27.

[14]) Fast. II, 477.

[15]) Quinct. Inst. I, 5.

habens, Numam, quippe qui annum ordinaverit, idus quoque instituisse, eandemque vocem a Sabinis usurpatam intelligens, ideo ab his vocabulum ad Romanos delatum putavit. Ea deinde, quae §§ 1—16 sunt disputata de singularum literarum apud Sabinos ratione, luculenter probant, aliquatenus tamen immutatam eam a Romanis. Sic o Sabinorum transiit in a, ai in ae, t et c nonnunquam in p, s in d, f in h, r in s etc. Quae magis semper Sabinorum linguam perdidisse, atque denique omnino obliterasse videntur. Quod facilius evenerit propter nativam utriusque linguae cognationem. Accedit ut Sabini in Romanorum potestatem venerint, ut quotidianum fere commercium et idem deorum cultus inter utrumque populum intercesserit, ne loquar de Sabinis, qui Romam migraverant. Atque plura certo nobis relicta essent monumenta, lingua Sabina conscripta, nisi ante Varronem lingua Sabina ex ore hominum evanuisset; omnia etenim monumenta, unum fortasse excipias, Latina lingua sunt conscripta. Ita porro explicatur, quomodo vocabula nonnulla, quae aperte sunt Latina Sabinis vindicantur; cf. Varr. de L. L. VI, § 57: hinc etiam amplius dicuntur eloqui et reloqui in fanis Sabinis e cella dei, qui reloquuntur etc. et inprim. Plin. XV, 3; Inter oleas recensetur.... Sergia, quam Sabini regiam vocant. Scriptores denique Sabina protulit terra, qui tantum abest ut Sabinam linguam oleant, ut inter meliores Romanorum scriptores referantur, Salustium Amiterninum, Varronem Reatinum, Massurium Sabinum, Ovidium Sulmonensem. Catonem et Horatium [16]) illa terra aluit. Quae argumenta Niebuhrii sententiam maxime firmare videntur.

§ 40. At quaerat aliquis, unde Varro linguae Sabinae, jam exstinctae, cognitionem haurire potuerit. Facile vero, sive a Grammatico sive ab Historico nonnulla tradita esse poterant, quae antiquiorem illius linguae rationem ostendebant. L. Aelium Stilonem certe, Varronis praeceptorem, inter Grammaticos celebre nomen, linguam Sabinam respexisse probat Varro [17]): Aelius Dium Fidium dicebat Diovis filium, ut Graeci Διόσκουρον

---

[16]) Horatium linguae Sabinae ignarum non fuisse, ex Carm. lib. IV, 4, 28, 29 efficitur, quo loco non sine emphasi Nerones et Fortes componuntur.

[17]) De L. L. V, § 66.

Castorem, et putabat hunc esse Sancum ab Sabina lingua et Herculem a Graeca. Varronis deinde tempore monumenta fortasse exstabant linguae Sabinae nunc deperdita, quale illud esse videtur quod Horatius commemorat [18]): Foedera regum, vel Gabiis, vel cum rigidis aequata Sabinis [19]); carmina Sabella, nacniae Marsae (Hor. Epod. XVII, 28 sq. Ovid. Fast. VI, 142 etc.) Facillime porro etiamsi Romanorum lingua usitatior erat, nonnulla antiquioris Sabinae linguae vestigia remanere poterant. Quod ipsum nostris temporibus Sabinis evenisse, Micali refert, qui, dum reliqua Italia lingua Italica utitur, priscae Latinorum linguae typum intemeratum fere servarint. Atque priscae Sabinorum linguae reliquias aliquot mansisse Varronis tempore, cum per se consentaneum est, tum gravissimo Frontonis [20]) loco firmatur: Deinde in porta (Anagniae) cum eximus, ibi scriptum erat bifariam sic: flamen sume samentum. Rogavi aliquem ex popularibus, quid illud verbum esset? ait *lingua Hernica* pelliculam de hostia, quam in apicem suum flamen, cum in urbem introeat, imponit. Qui locus Aurelii imperatoris tempore Hernicorum linguae (cognatae cum Sabina) reliquias servatas probat, quid igitur est, cur Varronis tempore plura etiam remansisse priscae Sabinorum linguae vestigia miremur. Non dubito denique, quin Varro atque Historici ante eum earum rerum, quae a Tatio et Numa institutae dicebantur, nomina ex Sabina lingua repetierint, ut Varro de L. L. V, § 74: „Et arae Sabinam linguam olent, quae Tatii regis voto sunt Romae dedicatae.“ — VII, § 13: „Februum Sabini purgamentum, et id in sacris nostris (i. e. Romanis) verbum.“ Februationis ritum a Sabinis (Numa) Romam delatum esse constat; quod quum compertum haberet Varro, ideo verbum a Sabinis repetere poterat. Eadem ratione iduum vocem a Sabinis ductam videri, supra dixi. Sic alio loco Varro (de L. L. V, § 68) „Sol, ait, vel quod ita Sabini, vel solus ita lucet, ut ex eo deo dies sit.“ At loco supra lau-

---

[18]) Epist. II, 1, 25.

[19]) Quae foedera ab Ausonio quoque (Commem. prof. Burdig. XXIII, 5) commemorata videntur: Quod jus pontificum, quae foedera, stemma quod olim Ante Numam fuerit sacrificis Curibus.

[20]) Epist. IV, 4.

dato, inter aras a Tatio dedicatas, solis aram vocat. Hinc conjiciens solis nomen, quippe quo Tatius jam usus fuerit, antiquitus Sabinis usitatum fuisse, Romanos ab hic demum vocem nactos putavit; Strenarum quoque vocem, quod a Tatio primo institutae putabantur.[21]), ex Sabina lingua repetitam, suspicor. Nihil igitur esse videtur, cur ob accuratiorem linguae Sabinae, quam Varro comparasse sibi videtur, cognitionem, Niebuhrii sententiam in dubium vocemus, dummodo non omnino exstinctam linguam Sabinam, sed priscae etiam linguae reliquias, memoriam certe, Varronis tempore servatam statuamus.

Caput quintum.

De fontibus, quibus utendum est in hac quaestione. Accedit recensus verborum Sabinorum.

---

§ 40. Linguae Sabinae nulla adhuc exstant monumenta, quae sincerum hujus linguae typum prae se ferunt. Hinc tota nostra hujus linguae cognitio ex singularum vocum notitia pendet; ac primum nominum propriorum; qua in re cautius agendum videtur, quod locorum, quos Sabini tenebant, nomina facile aut ante Sabinos indita, aut postea immutata esse poterant; deinde quod nonnulla deorum nomina ab Etruscis fortasse sunt repetenda, ita ut dubium sit, num secundum indolem linguae Sabinae fuerint composita; multa porro nomina a Romanis postquam majus inter utrumque populum commercium exstitit, sunt mutata et adaptata magis linguae Latinae, earum imprimis gentium, quae a Sabinis Romam migrarant, quod antiquum Foviorum nomen in Fabiorum, Volusiorum in Valeriorum Clausi in Claudii nomen detorsum, satis probat. Nomina denique propria, licet antiquiorem nonnunquam linguae formam exhibent, non ita multa linguae Sabinae argumenta addunt, quod radix eorum plerumque in dubio sita est. Maxime igitur nostra lin-

---

[21]) Symmach. Epist. X, 35.

guae Sabinae cognitio ex iis verbis est haurienda, quae ab antiquis scriptoribus passim laudantur. Quorum notitia quomodo ad nos pervenerit paucis quaeram. Atque maxime id miretur aliquis, quomodo a scriptoribus infimae Latinitatis, quorum tempore nullas etiam exstitisse linguae Sabinae reliquias, omnino est consentaneum, ab A. Gellio, Macrobio, Grammaticis, Scholiasta Horatii, Servio, Lydo aliisque verba Sabina laudari potuerint. Quos omnes, si non ex eodem fonte, at ex antiquioribus scriptoribus, quidquid habent, depromsisse, cum aliis de causis, tum ipsorum testimonio firmatur. Atque plurima ex Varrone desumta sunt. Quicunque enim ante Varronem Sabinorum historiam attigerunt, neque ita multi sunt, quamquam linguam fortasse Sabinorum non omnino neglexerunt, quod de Catone suspicor et de Aelio Stilone constat, nihil tamen ad nostram notitiam pervenit. Varro Reatinus, itaque ipse in Sabinis natus, et historiam Sabinorum (cf. § 23) et terrae Sabinae rationem accuratissime novit [1]). Linguae quoque Sabinorum peritissimum eum fuisse, scripta Varronis multis locis probant. Non solum in libris de L. L., quantum quidem ad nos pervenit, duodecim locis, sed in aliis quoque scriptis saepissime eam commemorat. Et uno quidem loco in libris de R. R. (III, 1, 6), in antiquitatum libris (Varro de L. L VI, 13), et quidem rer. divin. lib. I. (ap. Schol. Hor. Ep. I, 10, 49) et in rer. hum. libr. XXI (ap. Gell. XI, 1); in vita popul. Rom. (ap. Serv. Virg. Aen. VII, 657 et Non. XV, 35); ad Libonem I (ap. Macrob. II, 14). Varronem auctorem sequuti sunt: M. Verrius Flaccus (curis); Ovidius (curis, februum); Suetonius (Nero); Gellius (nero, multa); Scriptor epitomae de nominum ratione, quae vulgo Valerio Maximo tribuitur; Velius (de Orthograph. fasena, fiscus etc.); Apulejus (de nota adspir. fiscus, foedus, vefere, trafere); Lydus (nero); Isidorus (curis). — Num M. Verrius Flaccus, cujus epitomam nobis servarunt Festus et Paulus Diaconus, Varronem solum auctorem sit sequutus, in dubium vocari potest. Plura enim verba, quae a Festo et Paulo Diacono Sabina laudantur, nunc certe apud Varronem non exstant (herna, scesna, vesperna, ausum, alpus, cumba);

---

[1]) cf. Mueller. Edit. Varron. p. 302 et, quem ibi laudat, Petit Radel, in Annal. Instit. Archaeol. 1832. p. 18.

alia contra, quae Varro Sabina dicit, a Festo Osca vocantur (cf. § 34). Hinc aliis quoque auctoribus usus videtur, fortasse Atejo philologo, qui in libro Glossematum Umbricam linguam commemorat, et Aelio Stilone. — M. Verrium Flaccum compilasse videtur Servius ad Virgilium (hirpus, herna, Loebusius) [2]. Quamquam facile quidquid ad linguam Sabinam spectat ex Varrone desumtum, quum in tanta librorum Varronis deperditorum farragine, multa, quae ad linguam Sabinam pertinent, commemorata esse poterant. Varronis igitur scripta, si intacta et intemerata nobis essent servata, non dubito, quin multo accuratior linguae Sabinae cognitio ad nos perventura fuisset.

---

§ 42. Recensebo jam verba, quae Sabinis vindicari possunt. Sed ne certiora incertioribus misceantur, nomina propria Sabinorum a vocabulis, quae Sabina laudantur, discernam. Deorum enim nomina laudare nolui, quum Sabinorum de deis doctrinam accuratius tractarint Creuzer (Symb. I, p. 964 sqq.) et Mueller (Etrusc. II, p. 50. 120 et inpr. 64 sq.), plurima quoque deorum nomina recensuerit Grotefend (Archiv. f. Phil. etc. l. l. p. 121 sq.). Quibus quid addam, nihil habeo. Quare incipiam a nominibus propriis Sabinorum. Sunt vero I) ea, quae distinctis verbis a scriptoribus Sabina laudantur, II) gentium Romanarum nomina, quas a Sabinis Romam advectas Historici referunt, III) gentium nomina, quarum cognomina Sabinorum, Regillensium, Mamercorum Sabinam originem probant, quamquam in ea re cantius esse agendum, Cicero probat (ad Divers. XV, 20). Quare nullum nomen Sabinis propter cognomen Sabini vindicavi, nisi aliis causis accedentibus. Primum vero nomina et praenomina, deinde nomina gentilicia laudabo.

A. Praenomina et nomina Sabina.

Ancus, praen. Martii. Valer. epit. de nom. rat. I ex Varrone. Anculare est mimistrare, hinc Ancum ministrum, Ancum Martium ministrum Martis judicat Grotefend Archiv l. l. p. 123. Lindemann, Corp. Grammat. II, p. 322.

---

[2]) cf. § 5 et Cramer, Schol. Juven. p. 612.

Attus. Valer. l. l. Interpr. ad Liv. II, 16. praen. Claudiorum et Naviorum.

Albus. Valer. l. l. praenomen Funnisillatici Sabini.

Clausus. Virg. Aen. VII, 706. Liv. II, 16.

Mettus. praen. Curtii et Navii; Valer. l. l. Mueller. Etr. I, p. 29. Lindemann, Corp. Gramm. II, p. 484.

Nero, agnomen gent. Claudiae. Suet. Tiber. I,

Numa. praen. Pompilii, Plut. Num. III.

Pompus, praen. Pompil. Plut. Num. XXI. Pompo.

Talus. Fest. s. v. Tallus Dionys. II, p. 83.

Titus, praen. Tatii. Fest. s. v. Forma flexa magis Titulus ap. Fest. et Titurius ap. Valer. l. l.

Volesus, Volusus. Dionys. II, p. 83. Ovid. Epist. ex Pont. III, 2, 105,

His addi possunt ex Valerii M. epitom. de nom. rat. I. Pirtilianus Lavicanus et Albus Funnisillaticus et ex Dionys. II, p. 83 cognomen Tyranni.

B. Nomina gentilicia.

Aemilii. Plut. Num. 8. Gentem Sabinam fuisse probant cum alia, ut quod cognata putabatur cum Numa, tum cognomina Mamercorum et Regillensium.

Attii, nomen ducitur ab Atto. In numis Numae imago est expressa.

Aurelii. Fest. s. v. Gruter. I, p. 35. Aeorelius ex perversa pronunciandi ratione.

Calpurnii. Fest. s. v. Plut. Num. 21. Schol. Horat. A. P. 292. In numis Numae imago invenitur.

Claudii a Clauso. Liv. II, 16. Niebuhr. I, p. 621. II, p. 133. Petersen (de primord. hist. Rom.) p. 29 sq.

Curtii. Valer. de nom. rat. I; Grotefend, Archiv. l. l. p. 123.

Cornelii. Originem Sabinam probat Niebuhr II, p. 198. Accedit, ut cognomen Mamercorum huic genti fuerit usitatum.

Fabii. Fest. s. v. Plut. Fab. Max. I; Dionys. I, 31. Niebuhr I, p. 337, 351.

Flavii. Sueton. Vespas. 12. Cognomen Sabini huic genti usitatissimum.

Mamercii. Plut. Num. 21; vide tamen Drakenb. ad Liv. I, 32.

Martii. Plut. Num. 5. Ovid. Fast. VI, 803. Niebuhr I, p. 282.

Nautii. Fest. s. v. Virg. Aen. V, 704. a Naute, Aeneae comite nomen ducit, sequutus Varronem de familiis Trojanis. Quam cum tot aliis originem ex nomine fictam constat. Mihi gens videtur Sabina; est certe minorum gentium (Nieb. I, p. 676). Ortum enim nomen suspicor ex Navii nomino, unde per terminationem, in nominibus gentiliciis saepissime additam, itius (Publius, Publitius etc.) efficitur Navitius, atque i litera elisa, Nautius. Simili ratione Curtius ex Curilius. — Nomen igitur est Sabinum. Accedit, ut numi Numae imaginem exhibeant.

Navii. Niebuhr. I, p. 398.

Pompilii a Pompo. Liv. I, 18.

Petronii. Grotefend. Umbric. III, p. 11.

Tatii s. Titii a Tito.

Terentii. Varro ap. Macr. II, 14.

Valerii. Dionys. II, p. 83.

Vatinii. Valer. Max. I, 8, 1. cf. Cic. in Vatin. 16.

Vitellii. Suet. Vitell. I. Niebuhr tamen gentem Latinam putat (I, p. 17, 18, 574. II, 94.).

C. Vocabula quae Sabina laudantur.

alpus (albus). Fest. s. v. albus.

ausum (aurum). Fest. s. v. aurum.

cascus (antiquus). Varro de L. L. VII, § 28.

catus (acutus). Varro de L. L. VII, §. 46.

ciprum (bonum). Varro de L. L. V, § 159. Lindem. Corp. Gramm. II, p. 724.

crepusculum. Varro de L. L. VI, 5; VII, 77. Lindem. l. l. p. 402.

cumba (lectica militaris). Fest. s. v. ed. Lindem. secundum meliores codices. Priores editores habent cuba; cumba vero firmatur glossario M^so^ Camberonensi (ap. Voss. de vitiis sermon. p. 419): cumba dicitur lectica, a cubando.

cupencus (minister dei). Serv. ad Virg. Aen. XII, 538. Sil. Ital. IV, 537.

curis (hasta), alii quiris. Varro ap. Dionys. Halicarn. II, p. 116. Fest. s. v. caelibari; Ovid. Fast. II, 477. Plut. Rom. 29. Serv. ad Virg. Aen. I, 296. Macrob. Sat. I, 9 extr. Isidor. Orig. IX, 2, 84.

dirus. Serv. ad Virg. Aen. III, 235.

embratur (imperator). Macrob.?

fasena (arena). Varro ap. Vel. de Orthogr. p. 2230 P.

februum (purgamentum). Varro de L. L. VI, § 13; ap. Non. II, 355; hinc februus, februare, februarius, februalis, februatus, februlis.

fedus (hoedus). Varro de L. L. V, § 97. Apulej. de not. adspir. p. 125. Vel. Orthogr. p. 2230.

fides. Varro de L. L. V, § 74.

fircus (hircus). Varro de L. L. V, § 97. Apulej. l. l. Velius l. l.

fors, Varro de L. L. V, § 74.

fortuna, Varro l. l.

herna (saxa). Fest. s. v. Hernici, Servius ad Virg. Aen. VII, 684. Hernae male Glossae Juvenal. ap. Cramer. p. 612. et Beda V, p. 2344. ed. Gramm. P.

idus. Varro de L. L. VI, § 28.

irpus. (lupus?) Serv. ad Virg. Aen. XI, 785. Melius Samnitibus vocem tribuunt Fest. s. v. Irpini, et Strabo V, p. 250.

lepestae (genus vasorum), Varro de L. L. V, § 123. et ap. Non. XV, 35. Paul. Diacon. s. v. lepista.

lixulae (circuli, globuli), Varro de L. L. V, § 107.

nar (sulphus). Serv. ad Virg. Aen. VII, 517.

nero (fortis). Varro ap. Gell. XIII, 22. Suet. Tib. I. Lydus de mens. IV, 42. de Magistr. I, 23. In Glossis: Nero, ἀνδρεῖος.

picus. Strabo V, p. 240.

porc(us). Varro de L. L. V, § 97.

salus. Varro de L. L. V, § 74.

scesna (coena). Fest. s. v. scensas, et s. v. penna.

semilixulae. Varro de L. L. V, § 107.

sol. Varro de L. L. V, § 68, 74.

strena (sanitas). Symmach. Epist. X, 35. Elpidian. ap. Lyd. de mens. IV, 4. Fest. s. v.

tebae (colles). Varro de R. R. III, 1, 16.

terentum (molle). Varro ap. Macrob. Saturn. I, 14.

tesqua (locus sentibus repletus). Schol. Horat. Epist. I, 14, 19.

trabea. Lydus de Mens. I, 19.

trafere (trahere). Varro ap. Apulej. de not. adspir. p. 94.

trimodiae. Schol. Horat. Serm. I, 1, 53.

vefere (vehere). Varro ap. Apulej. p. 125.

verna. Fest. s. v. vernae.

vesperna. Paul. Diac. s. s. scensas.


Addenda.

Ad § 10 extr. Verbis Latinis, quae litera h et f promiscue utuntur, a Muellero collectis, addi potest *foleum* (oleum) in inscriptione, Puteolis reperta. Osann, Schulzeit. 1829. II, 9, p. 73.

Ad § 16. Not. 74 et § 33. Inscriptionem Umbricam, quam suppositam refert Lepsius, falsa suspicione liberat Orelli, Inscript. select. collect. II, p. 435.

Ad § 20. p. 25. Nimis leviter Ligorium sequutus *Ardoinne* nomen Sabinis vindicavi. Gallorum hanc deam fuisse Hagenbuch ap. Orelli l. l. I, p. 349 innuit, quam sententiam auctor gravissimus firmat J. Grimm, Deutsch. Myth. XXVII, 42, 77. — Paulo post Genitivi terminationem *es* Romanorum laudavi, alteram vero terminationem *aes*, quam usitatiorem Romae fuisse, inscriptiones probant, prave omisi. Omnes enim apud Gruterum et Orellium inscriptiones (numero sunt XIV), quae hanc genitivi formam exhibent, si unam exceperis, Romae sunt repertae, quum alteram formam *es*, recentiorem eam, novem inscriptiones, Romanae tantum tres, ostendant.

Ad § 32. Feroniae nomen voci *Vesune* Umbricae et Marsicae respondere, altera illius nominis forma (rustica fortasse) *Feruna* in notis Tironis (Gruter. not. Tiron. et Senec. p. 37) obviam probat. Quae notae licet variis temporibus sunt compositae, nonnullaque habent, quae barbaram aetatem redolent, multis tamen in rebus, virorum doctorum consensu, antiquitatis fidem prae se ferunt.




C 383

Ex officina Hammerichi & Lesseri

Deacidified using the Bookkeeper process.
Neutralizing agent: Magnesium Oxide
Treatment Date: July 2006

PreservationTechnologies
A WORLD LEADER IN PAPER PRESERVATION
111 Thomson Park Drive
Cranberry Township, PA 16066
(724) 779-2111


WERT
BOOKBINDING
Grantville, Pa.
Sept.-Oct. 1988
We're Quality Bound